Digitized by Google

Indice

34-5-1-19

1, De Aucte, gradu, ac terminis Legatorum a latere Tractatus. Romę 1656

2. Collectanea Compositionum ad Festum S.tæ M.æ Magdalenę de Pazzis

3. Consolatio Studentium, Opusculum Io. Primicilis Carmelitæ.

4. Pręneste liberata del P. Santoni Carmelitano 1657.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

Digitized by Google

Digitized by Google

34-5-I-12

DE AVCTORITATE GRADV AC TERMINIS LEGATORVM A LATERE

TRACTATVS

Ab Adm. Reu. Patre Fratre Io. Thoma à Turri
Sac. Theologiæ Magiſtro Ordinis Prædicatorum æditus.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

ROMAE,

Typis Angeli Bernabò de Vermis. 1656.

Superiorum permiſſu.

Digitized by Google

Digitized by Google

Nos Fr. Iõ. Bãptiſtã de Marinis Sac. Theol. Profeſs. Ord. Præd. humilis Mag. Generalis & Seruus.

HArum ſerie, noſtriq; auctoritate Officij facultatem concedimus tibi Ad. Reu. Patri Mag. F. Ioanni Thomæ à Turri Ianuenſi noſtræ Prouinciæ vtriuſq; Lombardiæ, vt Opuſculum à te compoſitum, cui titulus, *De Auctoritate, Gradu, ac Terminis Legatorum de latere*, iam à duobus noſtri Ordinis Magiſtris reuiſum, & approbatum, publicis Typis mandare valeas; ſeruatis alijs de iure ſeruãdis iuxta decreta Sacroſancti Concil. Trid. Conſtitutiones noſtras, ac Ordinationes Capitulorum generalium. In quorum fidem &c.

Dat. Romæ in noſtro Conuentu S. Mariæ ſuper Mineruam, Die xj. Ianuarij 1656.

Fr. Io. Baptiſta de Marinis Mag. Ord.

Digitized by Google

Reuerendiſs. Patri Fr. Io. Baptiſtæ de Marinis totius Ordinis Præd. Mag. Generali optimo, ac vigilantiſſimo.

IVſſu P. V. R. ego infraſcriptus perlegi opuſculum A.R.P. Magiſtri Fr.Io.Thomę à Turri Ianuēſis, Ordinis noſtri ex Prouincia vtriuſque Lombardiæ, cui titulus inſcribitur: *De Auctoritate, Gradu, ac Terminis Legatorum de latere*, in libros treſdecim mirabili ordine digeſtum: in eo reperi nihil, quod Chriſtianam pietatem cedat, immo ſanam, & optimam doctrinam, cum variarum rerum cognitione coniunctam. Ideo prælo, ac publica lęcem dignum cenſeo fructuſque eximios vtentibus allaturum confido ſi P.V.R. placuerit, vt typis mandari poſſit.

Datum. Romæ 16. Decembris 1655.

Fr. Io. Vincentius Morenus à Mutina Ordinis Præd. Mag. & in Sacra Indicis Congregatione Librorum Cenſor.

DE mandato Reuerendiſs. Patris Fr. Io. Baptiſtæ de Marinis Generalis Magiſtri totius Ordinis Prædicatorum, ſumma animi attentione, nec minori voluptate perlegi librum *De Authoritate, Gradu, ac Terminis Legatorum à latere*, ab Adm. Reu. Pat. Magiſtro Fratre Ioanne Thoma à Turri, breui ſtylo, mira claritate, ac non vulgari eruditione compoſitum; & nihil in eo Fidei Catholicæ, aut veræ ſapientiæ diſſonum, quin potius ſanam doctrinam, ſatis ſuperque proficuam inueni. Quare vt typis pręloque mandetur in gratiam, & communem doctorum vtilitatem omnino cenſeo. Dat. in Conuentu Sanctæ Sabinę de Vrbe die 10. Ianuarij 1656.

Ita atteſtor ego Fr. Franciſcus Turrianus à Nicea Sacræ Theologiæ Doctor Ord. Præd.

Libel-

Digitized by Google

Imprimatur ſi videbitur Reuerendiſs. P. Mag. Sac. Palatij Apoſtolici.

M. A. Oddus Viceſg.

Libellum hunc, cui titulus: *De authoritate, gradu, ac terminis Legatorum à latere*, ab A. R. P. Thoma à Turri Ord. Præd. Sac. Theol. Magiſtro ſumma eruditione, ac perſpicua breuitare compoſitum, Ego Fr. Hieronymus Nicolinus Romanus Ord. S. Auguſtini Cong. Lombardæ Sac. Theol. Lector I. V. D. & ad præſens Parochus S. M. de Populo Vrbis, iuſſu Reuerendiſs. P. Raymundi Capiſucchi Sac. Pal. Apoſt. Magiſtri, vidi, ac diligenter conſideraui, nihilque in eo inueni, quod orthodoxæ Fidei, bonis moribus, ſacris Canonibus, Romanorum Pontificum Conſtitutionibus, ac ſacrarũ Congregationũ declarationibus repugnet. Quare digniſſimnm cenſeo, vt ad communem omnium vtilitatem quam primum in lucem edatur.

Dat. ex Conuentu S. Mariæ de Populo Vrbis, hac die 5. Februarij 1656.

Idem Fr. Nicolaus qui ſupra manu pp.

Imprimatur

Fr. Raymundus Capiſuccus Sac. Apoſt. Palatij Magiſter Ord. Præd.

Digitized by Google

INDEX LIBRORVM ET PARAGRAPHORVM.

Liber primus.

DE Nomine, Origine, ac Inſtitutione Legati de latere. pag. 1.

Paragraphus 1. De Nomine Legati. pag. 1.

Paragraph. 2. Diſſeritur, quam authoritatem ſortiatur Dominus Legatus de latere in prima ſui inſtitutione, etiam nōdum accepta poſſeſſione Legationis. p. 5.

Paragraph. 3. Qualiter recipiendus ſit Legatus de latere accedens ad prouinciam. cap. 8.

Paragraph. 4. Quam ex ſui inſtitutione Legatus de latere obtineat auctoritatem. p. 10.

Liber ſecundus.

De auctoritate Legati de latere in certa genera perſonarum. p. 14.

Paragraphus 1. Quam habeat Legatus de latere authoritatem in Delegatos. p. ibid.

Paragraph. 2. Quam authoritatem habeat Legatus de latere in Epiſcopos. p. 16.

Paragraph. 3. De auctoriiate Legati de latere in exemptos. p. 23.

Paragraph. 4. De authoritate Legati de latere in Moniales. 26.

Vbi. Quæritur. An Legatus de latere poſſit conſecrare Virgines. pag. 28.

Paragraph. 5. De authoritate Legati de latere in locis exemptis. 31.

Paragraph. 6. De auctoritate Legati de latere in temporales. p. 33.

Paragradh. 7. De authoritate Legati de latere, quoad collationem graduum. pag. 34.

Liber tertius,

De Auctoritate D. Legati de latere in Iudicialibus, & prouenientibus ex eis. p. 36.

Paragraph. 1. De authoritate Legati in procedendo. ibid.

Paragraph. 2. De modo obſeruando à Legato in procedendo in Iudicijs. p. 38.

Paragraph. 3. De auctoritate Legati in auocandis cauſis. pag. 40.

Paragraph. 4. De authoritate Legati circa appellationes. p. 42.

In quo quæritur. An ad Legatum poſſit appellari, omiſſis medijs.

Liber quartus.

De auctoritate D. Legati de latere in ordine ad Leges. p. 45.

Paragraphus primus. De auctoritate Legati in congregandis Concilijs. p. ibid

Paragraphus 2. De auctoritate Legati in concedendis ſtatutis p. 46.

Vbi. Quæritur. An poſſit Legatus

tus concedere ſtatuta contra ius commune. p.47.
Paragraphus tertius. De auctoritate Legati in interpretandis legibus. p.48.
Paragraphus quartus. De virtute litterarum D. Legati de latere. p.50.
Liber quintus.
Paragraphus unicus. De authoritate Legati de latere, quoad conceſſionem Indulgentiarum. 52.
Liber ſextus.
De Auctoritate Legati, quoad ius diſpenſandi. p.54.
Paragraphus primus. De facultate Legati de latere, quoad diſpenſationes in communi. ibid.
Paragraphus ſecundus. De authoritate Legati in diſpenſando circa pluralitatẽ beneficiorum. 56.
Paragraphus tertius. De authoritate Leg. in diſpenſando cum illegitimis. p.58.
Paragraphus quartus. De authoritate Leg. in diſpenſando circa Matrimonia. p.62.
Paragraphus quintus. De authoritate Leg. diſpenſandi in votis. p.64.
Paragraphus ſextus. De auctoritate Legati in iuramentis. p.65.
Paragraphus 7. De auctoritate Legati diſpenſandi cum ſimoniacis. p.66.
Paragraphus octauus. De auctoritate Leg. circa ætatem. p.68.
Liber ſeptimus.
Paragraphus unicus. De auctoritate Legati in concedendis facultatibus alienandi bona Eccleſiaſtica. p.70.
Ubi. Quæritur. An Prælatus iurans non alienare poſſit à Legato diſpenſari. ibid.
Quæritur ſecundo. An Legatum cum tali diſpenſans duplici actu hoc facere teneatur. p.71.
Quæritur tertio. An Legatus poſſit alienare bona Eccleſiæ ſibi commendatæ. ibid.
Quæritur quarto. Quæ nam debeant dici terrulæ. ibid.
Quæritur quinto. An non exiſtente utilitate Eccleſiæ in alienatione, debeat retractari contractus. p.74.
Paragraphus ſecundus. De auctoritate Legati circa ultimas voluntates. p.76.
Liber octauus.
De auctoritate Leg. de latere diſpẽſandi in irregularitatibus p.77.
Paragraph. 1. De authoritate Legati circa diſpenſationem irregularitatum ex delicto. ibid.
Paragraph. 2. De authoritate Legati in diſpenſando cum bigamis & corpore vitiatis. p.79.
Liber nonus.
De auctoritate Leg. circa cenſuras Eccleſiaſticas. p.81.
Paragraph. 1 De auctoritate Leg. circa cenſuras in communi. ibid.
Paragraph. 2. De authoritate Leg. circa excommunicationem ex percuſſione Clerici. p.83.
Paragraph. 3. De authoritate Leg. abſoluendi à nonnullis cenſuris & in certis caſibus. p.84.
Ubi. Quæritur. An Leg. poſſit abſoluere, & reconciliare hæreticum occultum. p.85
Quæritur 2. An Legatus poſſit

Paragraph. 2. De expiratione, & term inatione Legationis. 116.
ſit abſoluere a cenſuris Bullæ Cœnæ Domini. p.85.
Quæritur 3. An poſſit abſoluere à cenſura ob Monomachiã. 90
Quæritur 4. An vi litterarum abſoluendi à cenſuris Canonis ſi quis ſuadente, poſſit abſoluere percutientes DD.*Cardinales?* p.90.
Quæritur 5. An poſſit abſoluere extrahentes frumenta, bladas, animalia, &c. extra ſtatum Eccleſiaſticum. p.91.
Quæritur 6. An poſſit abſoluere Confeſſarios abſoluentes à cenſuris contentis in Bulla Cœnæ, p.89.
Quæritur 7. An poſſit concedere facultatem aſportandi frumenta ex locis immediatè ſubiectis Eccleſiæ ad loca mediatè ſubiecta. 91.
Paragraph. 4. De *auctoritate Leg. gaii circa interdictum.* p. 94.
Vbi Quæritur. An Legatus poſſit reconciliare Eccleſiam pollutam ob effuſionem ſanguinis. p.95.
Paragraph. 5. De auctoritate Leg. circa ſuſpenſiones. p. 96.

Liber decimus.

De *auctoritate Leg. circa collationem beneficiorum.* pa. 100.
Paragraphus 1. De poteſtate in conferendis beneficijs. p. ibid.
Paragrap. 2. De auctoritate Legati quoad commendas. p.103.
Paragraph. 3. De *auctoritate Legati circa penſiones.* p.104.

Liber vndecimus.

De *auctoritate Legati circa reſeruationes* - p.106.
Paragraph. 1. De *auctoritate Legati in reſeruandis beneficijs. ibid.*
Paragraph. 2. De *beneficijs reſeruatis Papæ.* p. 107.

Liber duodecimus.

De *auctoritate Legati in Concilijs Generalibus. Paragraph. vnicus.* p.108.
In quo quæritur. An Conciliũ nomine Papa congregatum à Legatis, & directum, poſſit errare in fide. p.111.

Liber tertiusdecimus.

De *terminis poteſtatis Leg. & Legationis.* p.113.
Paragraph. 1. De *terminis poteſtatis Legati.* p.113.
Paragraph. 2. De *expiratione & terminatione Legatum.* p.116.

Digitized by Google



Digitized by Google

EMINENTISS. AC REVERENDISS.
PRINCIPI
DECIO AZZOLINO
S. R. E. CARDINALI.

H*ABERE venerationem iuſtam quicquid excellit*, ex Tulliano fonte primo de natura Deorum dicemus. Hinc erga viros egregios, quos ſublimauit virtus, & Principatus excepit, pro dignitate reuerentiam, pro meritis natura ipſa dictat applauſus. *Antiquam enim ipſius pulchri inſitam animis appetitionem*, ex Plotine promptuarijs Cælius libro vigeſimotertio deprompſit ſententiam: quapropter haud mirum, Eminentiſſimæ Princeps; tibi euenturum puto, quod à minus noto, ſed ſummè dedito in propenſionis animi argumentum famulanter offerantur munuſcula; clariſſima namque, & indolis,& operis tui lux fama faces deferente, meæ effulſit menti, quæ ad obſequentiſſimum eamdem deuinxit famulatum; ſed abſque tuæ modeſtiæ indignatione indulgeat benignitas. Neſciunt enim (inquiebat Hormiſda Papa) latere miranda. Quid in te inſpiciendum ſeſe affert, quo non ſumma admi-

Digitized by Google

ratione percellar? & nomen ipſum, aut viris Egregijs proprium audio, aut Regibus ſacrum; & hoc ſidere dictante (vt Platoni aſſentiar omina gerendarum rerum indicabat, & nomina neque decepta, nec decepiſſe, probauit euentus. Si genus ſpectetur, & gentis tuæ ſeries, tot aut Conſules, aut Duces memorantur, quot numerantur viri. In firmana Ciuitate toto orbi firmo conceptu celeberrimo AZZOLINORVM Familia præcipua hæreditaria iure poſſidit munera, in Romana Vrbe virtutis merito, primas honores adehta, vſque adeo, vt de ea, ſine vlla ſuſpicione fuci, quod Deciorum gente priſca cum Caſſiano ætas depoſuit ab vniuerſis proferatus Elogium: *Nullum AZZOLINORVM Familia miratur honorem, quia eorum plena ſunt Atria faſcibus laureatis, in ea decurſu generis dignitas penè naſcitur conſularis*. Alterum Decium AZZOLINVM, nobis ſuſpexere, eumque tibi nomine ſimilem, dignitate parem, haud diſſimile virtute, non ſine gaudio, quia non ſine Reipublicæ incremento viuentem commendarunt, & inter egregios perpetua monumenta teſtantur. Quales viguerint in Laurentio Emiminentiæ tuæ Patruo Dotes, Vrbanus Summus, ac ſapientiſsimus Pontifex re fidem adhibuit

buit

buit, dum virum nobilioribus muneribus fun-
ctum ad participationem Regiminis adſciuit, &
ſecretiora negotia eius fidei commiſit. Huic
legum ciuilium, & Canonicarum Periti, & Præ-
ceptori, & Duci ſummè detulerunt. Huic Mu-
ſarum cætus: Huic Academiarum ſtudia plurima
ediderunt præconia. Nec diutius demoror in
cæteris recenſendi, dum ab eminenti virtutum
tuarũ Apice me ſentio aduocari; Neque enim
maiorum tuorum gemmis petis adornari, cum
propriæ nimio emicantes ſplendore pateſaciant,
Te auorum gloriam, quam hauſeras, auxiſſe vir-
tutibus. Ad hoc veluti à natura excitatus, vix lu-
mẽ rationis aſpexeras, quaſi lege accepiſſes, huma
nioribus, ac ingenuis artibus breui curſu pleniſ-
simè eruditus, phyloſophicis Ingenij vires exer-
uiſti, ac impiger inſiſtens adeo, vt publicis diſpu-
tationibus naturalium dogmatũ propugnator in
aciem deſcenderes, & victor eam cõparaſti glo-
riam, vt & ſapientiores in tui amorem adduceres
& in ſtuporem Magiſtros: Lætante quidem ſibi
amplius non ſupereſſe, quod adoleſcentis præ-
coci ingenio inſtillarent, ac in Platonis irent ſen-
tentiam; vt animo tuo ſcientias dicerent inge-
nitas. Virum emicantibus decoratum virtutum
ornamentis percupide Roma manebat, & à la-

tere

Digitized by Google

ere lubentis genitoris excepit; nec eam feſellit opinio; quandoquidem grauiores in curia tibi demandatas curas ea dexteritate, eo peregiſti ingenio, vt quod de Tiberio iampridem decantatum refert Suetonius, hoc tibi Roma detulerit. *Non potuiſſe, inquiens quempiam prudentius gerere quam tu geſſeris*. Iam in rebus gerendis prudentiæ grandeſcebat opinio, & inter geſta in dies adoleſcebat gloria; quæ tibi ſummi Chriſtiani orbis moderatoris ſummum cóciliauit affectum & vt digna facta repenſaret largitate, te inter Purpuratos Patres lubens adſcriſit. Qualem verò in Eminentiſſima dignitate te habeas, meæ non eſt facultatis effari; Haud fas eſt breui verborum ambitu ſupereminentia peſtringere; liceat eum Nazianzeno concludere; *In te laudando, atque ornando tua ipſius voce opus eſſet*. Nunc cunctorum vota vlteriora expoſeunt, altiora precantur; licet tu neque imperij (vt verbis Plutarchi vtar) neque ditionis gloriam ambias, cum eam meliorem in virtute poſſideas. Hæc ſunt, quæ me ad dicendum incitarunt, hæcque, quæ ab intuitu tuo hanc ſupplicem abſterrebat, at quoniam in vero Principe, haud diſcociata cernitur à benignitate Maieſtas, illa quidam me quaſi admanum trahens, ad Eminentiæ tuæ ob-

tutum

tutum ſperantem, obſequentiſſimumque exhibuit, ac animnm erexit, vt ad pedes tuos opuſculum hoc ſubmittere; haud certè tua dignum amplitudine, at quod meam ducat imbecillitatem, meam cohoneſtaret deuotionem; Materia ipſa Eminetiſſimo Viro inſcribendum præſcribebat; Soli namque Domini Cardinales Legati de latere decernuntur; tibi debitum obſeruantiſſima animi dictabat propenſio, qui dum ſcriptorum munera offert, ſe totum dedit, optās, atque exorans, vt eo minus digno mentis affectum offerentis digniorem non dedigneris inſpicere; Vt diutius te ſeruet incolumen, ac proſpere tibi cuncta diſponat; Diuina, precor, ſit præſto Maieſtis.

E. Veſtræ

Humilimus ſeruus

Fr. Ioannes Thomas à Turri
Prædicatoris Paſſolia.

Digitized by Google

Digitized by Google

LIBER PRIMVS.

De Nomine, Origine, ac Inſtitutione Legati de Latere.

PARAGRAPHVS I.

De Nomine Legati.

NOMEN Legati paſſiua ſignificatione à verbo legare (quod eſt in legationem mittere, Oratorem conſtituere proprio, vel publico nomine acturum negocia) fuiſſe deſumptum, Antiquiores, qui ſcripſerint, teſtantur, & Plato in Amph. Saluſtius in Iugurt. Plautus in Caſin. Cicero Atti. lib. 8. 9. Phil. & 2. de Orat. vbi inquit; Athenienſes ad Senatum Legatos de rebus ſuis maximis miſiſſe. Et Quintilianus lib. 18. cap. 1. miſſam ad Achillem legationem commemorat. Veruntamen aduertendum omninò eſt, quod priſcis ætatibus *Legationes* nobilibus Perſonis ornamenti, atque honoris cauſa demandari ſolebant; & huiuſmodi legationes liberæ dicebantur, de quibus apud Bubæum hæc leguntur: *Legationes liberæ olim ornamenti tantùm cauſa ab Senatu impetrabantur, quemadmodum Honorarij Magiſtratus à Prińcipibus, honeſtamenti cauſa conceduntur, tituloque tenus obeuntur, & geruntur*. Has autem ij Senatores impetrabant, quibus negocia futura erant in prouincijs, vt qui hæreditates perſequi, aut legata, aut nomina exigere volebant in prouincijs, Legatorum perſonis acceptis, commendabiliores controuerſias haberent, atque fauorabiliores; hoc

Digitized by Google

tamen Legationis genus, vt pote exteris nationibus exoſum, lege duodecim tabularum fuit exploſum.

Hodie Legationis nomine, munus, & officium à Principe, vel Ciuitate demandatum ad publica tractanda negocia, communiter intelligitur; vnde Iſidorus Hiſpalenſis Epiſcopus Sanctiſſimus, & eruditione inſignis lib. 2. de Differentijs num. 45. inquit: *Legatus electus eſt ad officium à Ciuitate, & eſt ſacro ſanctus*. Ad Legationem autem Eccleſiaſticam, eiuſque munera accedendo, duo reperio Legatorum genera: alij namque ita ſunt Nuncij, vt non ſint iudices, & tales eſſent, qui à D. Papa pro mera ambaſciata, vel ad aliquod nudum miniſteriũ exercendum mitterentur, de quibus di. p. ius gentium, & 97. di. cap. nobiliſſimus, & l. vlt. ff. de legationibus; & hi impropriè Legati dicuntur: Alij verò ſunt Legati Iudices, quos D. Papa, velut Ordinarios inſtituit in aliqua Prouincia, vel Regno, & horum tria ſunt genera; vt no. Glo. & Panormitanus in cap. excommunicatis. de off. Legat. Specul. lib 1. partic. 1. §. ſequitur videre. Quidã ſunt locales, ſeu nati, hoc eſt, ſunt Legati ratione dignitatis, in qua naſcuntur ex priuilegio per Sedem Apoſtolicam conceſſo eorum Eccleſijs; vt plures Archiepiſcopi recenſiti in cap. 1. de off. Legat. & alij, quos recentius Apoſtolicus proſecutus eſt fauor: Alij ſunt Legati miſſi ad aliquod negocium, ſeu etiam ad reſidendum apud Reges, & Principes, qui non ſunt Cardinales, & propriè vocantur Nuncij. Alij demum appellantur Legati de latere miſſi, quia, ſcilicet, de latere D. Papæ mittuntur, cui aſſiſtunt in Curia; de quibus Glo. in d. cap. excemmunicatis. de off. Leg. & iſti ſecundum Io. And. & Panorm. in cap. penult. eo tit. dicuntur Domini Cardinales, qui lateri D. Papæ ſemper aſſiſtunt vt Conſiliarij in partem ſollicitudinis, quicquid dixerit Gloſſa. Ideo autem Emm.

DD.

Digitized by Google

DD. Cardinales, qui lateri D.Papæ ſemper aſſiſtunt, & ſic mittuntur, vocantur Legati de latere, quia ſunt veluti partes corporis Papæ, vt in extrauag. Io.XXII. Execrabilis de præb.& cap.vbi periculum.de elect. in 6. & in Clem. ne Romani.de elect.& per Cherub.ſchol.2. in Cōſtit.Eugenij IV.licet Romani. Capellani, & alij Curiales, etiamſi à Papa ad Reges, vel prouincias mittantur, & cum magnis facultatibus; nequeunt appellari Legati de latere; quia & ſi degant in Curia, atque D.Papæ aſſiſtant, non tamen in ſecretis Conſilijs, & in Regimine totius vniuerſalis Eccleſiæ, vt d.Extrauag. execrabilis.

No.1. Hinc ſequitur, Collegium DD. Cardinalium non poſſe mittere Legatum de latere; non ea ſolùm ratione, quia par in parem non habet authoritatem, vt quidam dixere; (non enim omninò curreret vbi de Vniuerſitate in ordine ad vnum de Vniuerſitate eſt ſermo) neque quia oporteat DD. Cardinales intereſſe electioni Romani Pōtificis, vt d.Clem ne Romani; hoc enim potius extrinſecus ſe habet ad propoſitum præſens; neque etiā ea ratione, quod DD.Cardinales Sede vacante nullam habeant determinandi, aut definiendi facultatem vltra ea, quæ ipſis conceſſa ſunt per Romanos Pontifices, vt ſuo loco dicetur; ſed quia apud DD.Cardinales, aut eorū Collegium, Papa defuncto, non reſidet Dignitas, aut authoritas Papæ, de cuius latere, & corpore dicuntur Cardinales ipſi.

Poſſet tamen à Collegio DD.Cardinalium alium loco Legati ſubrogari, ſed non cum facultatibus, quæ per Romanum Pontificem Legatis concedi ſolent, ratione ſupradicta.

No.2. Poteſt Papa, negocijs ſic exigentibus, cogere aliquem ex DD. Cardinalibus ad ſuſcipiendum munus Legationis, etiamſi aliàs eadem functus fuerit Legatione,

ne, niſi legitimo detineatur impedimento à Sanctitate ſua probando: Gloſſ. cap. in ſcripturis veſtris §. 9. p.1. quandoquidem [& cogere poteſt quempiam ad Epiſcopatũ ſuſcipiendũ, vt d.cap.& per D.Th.quolibeto 5.a.22.

No.3. Et quoniam Legatio iuriſdictionem concernit ad munus Legati de latere obeundum eligi poſſunt etiã Subdiaconi ad omnia negocia peragenda ad libitum Sãctiſſimi D.N.10.q.3.relatum.

No.4. Si fiat mentio Legati in odioſis, appellatione Legati,ſeu Legatorum non veniunt,aut comprehenduntur Legati de latere, ſed de eis ſpecialis facienda eſt expreſſio ob eminentiam dignitatis,& officij,36.di.cap.Abbatum,cap.1.de verb.ſignif.in ſexto,Roderic. quæſt. Regular.tit.2.q.63.a.5.Cherub.ſchol.2. ad Conſtit. 17. Eugenij IV.

In fauorabilibus verò ſecus dicẽdum eſt. Et Speculat. lib.1.particula 1.§. ſequitur videre, aduertit, quod Legatus de latere in quatuor excedit alios Legatos; primò in abſolutione excommunicatorum, extra de off. Leg. excommunicatis. Secundò, quia eo præſente alij Legati vt minores ſuis inſignijs non vtuntur, nec officium Legationis exercent, vt eod.tit.volentes,extra de priuileg. Antiqua 21 di.Denique tertiò,in beneficiorum collatione, vt in c.officij. Quartò in procuratione, extra de cẽſ. procurationes; vnde deducit, quod alij ſunt Legati magni, vt rati, alij minores, vt conſtituti, alij maximi, vt laterales. Quinimmo & Legato de latere præſente non ſe intromittit de cauſis coram eo inchoatis non ſe intromittet, quia tutor gerere prohibitus,remotus eſſe intelligitur, ff. de ſuſpec.tu.l.hæc enim. Item & præbendas donationi minoris reſeruatas Legatus ipſe maior conferet.ſpec.partic.1.de Legato. §. Hunc tractemus, & antecedenti verb.idem quoque erit.de præbendis.

PARA-

PARAGRAPHVS II.

Diſſeritur, quam authoritatem ſortiatur Dominus Legatus de latere in prima ſui inſtitutione, etiam nondum accepta poſſeſsione Legationis.

No.1. LEgatus de latere coram Summo Pontifice,& in Vrbe exiſtens nullam exercere poteſt iuriſdictionem, aut Legationis inſignia gerere, quia vbi eſt maior, ceſſat minor; nec Summus Pontifex Legatos inſtituit contra ſe; nec eſt eadem, aut par ratio de DD. Cardinalibus, ceteriſque Prælatis Romæ degentibus: hi enim purè Miniſtri ſunt, Legati verò vicem D. Papæ obtinent.

Extra vrbem verò, & non præſente Papa, D. Legatus vti poteſt inſignijs. Hæc eſt contra Hoſtien. eamque tenent Cardin. in Clem. Archiep. de priuileg. Sylueſter Prier. verb. de legatus q. 12. & Gābara lib. 1. qui & id conſuetum affirmant, & idē teſtatur euidentia. Ratio huius eſt, quia extra Vrbem, & in abſentia D. Papæ habet iuriſdictionem ſaltem voluntariam, etſi non contentioſā.

No.2. Ex dicta ratione colligitur, D. Legatum de latere extra vrbem exiſtentem, etſi nondum adeptum prouinciam ſibi demandatam poſſe delegare cauſas in prouincia, quia hoc non requirit cauſæ cognitionem: Verum eſt tamen, quod ſi ille, cui aliqua committitur cauſa, nolit eam recipere, non poteſt à D. Legato cogi; Gloſſ. in c. nouit, de off. Leg. & in cap. ſtatutum. de reſcrip. in ſexto: Neque poteſt mandare generaliter in omnibus. ff. de off. Proconſ. obſeruare.

No.3. Colligitur ſecundò, poſſe Legatum exiſtentem extra Vrbem, & in itinere abſoluere excommunicatos ob percuſſionem clerici ipſum vndecumque accedentes,

cap.

Digitized by Google

cap.quod tranſlationem.de off.Leg.cap.ad eminentiam. de ſent.excommunic.& Hoſtienſis,qui in cap.1. de offic. Leg.limitauerat,niſi iniuria eſſet enormis,in d.cap. ad e. minentiam tenet,quod poſſit abſoluere, etiam pro enormi. Legati verò temporales extra prouinciam non poſſunt abſoluere,nec exteros,niſi ſpecialem habeant facultatem,vt eo tit.notauit Archiepiſc.

No.4. Legatus de latere extra Vrbem honorãdus eſt loco illius,cuius legatione fungitur, 92. di. præcipimus; quin & idem honor ei eſt exhibendus,ſicut Papæ,93,di. cap.vlt.ff.de officio præf.l.vn.in fin. Gloſſ. in 2.q.4. quæ de cauſa. Hoc tamen non ita eſt intelligendum, quod tantus ſimpliciter ſit exhibendus Legato, quantus exhiberi ſolet Papæ; ſed ſic,quod Legato exhibendus eſt honor ſicut repreſentanti perſonam Papæ; nam maior eſt dignitas,quam quis habet iure proprio,quàm ea,quam habet ex perſona alterius,vt notat Decius in c.ſanè.de off.Leg.num.7.& ſeqq.& idem,aut ſimile obſeruatur in Oratoribus Regum,in Proregibus, & olim obſeruabatur in Legatis, & Conſulibus.

No.5. Legato exiſtenti in via debetur procuratio,etiã ab ijs,qui non ſunt de ſua legatione, Abb.in c.cum inſtãtia de cenſi.& hoc intelligi debet, quando aliunde viaticum non habet,tunc enim à quibuſcumque exigere poteſt procurationem,etiamſi ſint exempti,& habeant priuilegium, cuius fieri deberet expreſſa mentio, vt ei derogetur; ſed de hoc inferius dicendum. Ratio eſt, quia Sedes Apoſtolica concedit priuilegia contra inferiores, non contra ſe.

No.6. Poteſt quoque diſpenſare iuxta facultatem contentam in literis, quia eſt actus voluntariæ iuriſdictionis,Gambar.lib.10. num.358.poſt collect.in cap. niſi Clerici, de iud. hoc autem intelligitur quoad ſuos

ſub-

ſubditos, id eſt, homines de ſua prouincia.

No.7. Non poteſt excommunicare, aut abſoluere, aut exequi alia, quæ requirunt cauſæ cognitionem; Panorm.in c.nouit.de off. Leg. poteſt tamen abſoluere, ſi cognouerit, ſe erraſſe in excommunicando, quia huiuſmodi abſolutio fit ſine cauſæ cognitione, per Innoc in dicto cap.

Poteſt item abſoluere in foro animæ in omnibus, in quibus non fit præiudicium tertio, eadem ratione, ſcilicet, quia talia proceſſum iudiciarium non requirunt, Sylueſt.verb.abſolutio 1.5.2.

Hinc ſequitur, quod poſſit excommunicare ſubditum in notorijs, vt c.euidentia.de accuſ. & ibi per Hoſtien.

Non tamen poſſet excommunicare ſolemniter, quia eſſet vſurpare iuriſdictionem Diœceſani, quod prohibetur Clem.eo tit.quamuis.

Quæſt. Sed ſuppoſito, quod extra territorium contẽtiosè procedat, quid ſentiendum de validitate? Dico, non valere proceſſum, niſi fiat de conſenſu Diœceſani, & partium, quia partes non poſſunt trahi extra territorium inuitæ. cap.litigantes, de off.Ordinar.in ſexto.

No.8. Nolentes recipere Legatum, & impedientes incidunt in excommunicationem extrauag. Io. XXII. Super gentes, de conſuetud. quæ tamen non eſt reſeruata, niſi fortè ob cenſuram Bullæ, Cœnæ Domini, contra offendentes DD. Cardinales; nam hęc eſt reſeruata ſoli Romano Pontifici.

No.9. Legato nouiter miſſo, & exiſtente in via, alius Legatus, qui eſt in prouincia non tenetur ſuſpendere officium ſuæ legationis, niſi demum ſuperueniente viſo Legato. Immo & in hoc caſu, quo alius exiſtat in prouincia, non poteſt Legatus de nouo miſſus ante eiuſdem prouinciæ ingreſſum exercere iuriſdictionem voluntariam.

Digitized by Google

riam,quia alius poteſt,& valebit quicquid iſte egerit,donec nouerit alium Legatum aduenisse, ff. de off.proconſul.& l.ſi fortè.

PARAGRAPHVS III.

Qualiter reſpiciendus ſit Legatus de latere accedens ad Prouinciam.

No.1. LEgatum de latere accedentem ad ſibi demãdatam prouinciam, veluti Proconſulem, recipit Clerus,& populus admonitus ſolemniter. Et exẽpti ipſi, Epiſcopo iubente, tenentur exire obuiam Legato accedenti ad Vrbem aliquam ſuæ legationis. cap. nimis praua,de exceſſi.prælat. Ad idem tenentur Epiſcopi, & Archiepiſcopi. Item Legati minores, quia eſt Legatus Sedis Apoſtolicæ,& vices gerit ipſius Papæ, vt Vicarius ipſius, qui eſt vniuerſalis Eccleſiæ Princeps ſupremus.

No.2. Legati minores, accedente D. Legato de latere dimittere debent executionem ſui officij, cap. nolentes, de off.Leg. c.antiqua, de priuil. & 21.di. c.denique. Eo verò recedente, reaſſumunt ſua munera, quia non expirauerant, ſed dormiebant, 11.q.1.peruenit,43.di.Ecce.

No.3. Legatus antequam poteſtatem exerceat debet literas exhibere. cap.nobiliſſimus di.93. & 63.di. cap.dictis. Hodie tamen ad id videtur non teneri aut ex diſpenſatione, aut ex conſuetudine. Itaque D. Cardinali ſimpliciter aſſerenti, ſe eſſe Legatum viuæ vocis oraculo deputatum, de iuris rigore loquendo, non creditur: iuxta tamen communem Doctorum ſententiam, ei fides adhibetur ex conſuetudine. Alter. in can.13. Bullæ in Cœna Domini, Specul. & Gloſſ. ſuper particula 1.lib.1. §.officij. Hoc tamen intelligunt quoad facultates ſolitas

tas

tas concedi Legatis de latere, ſecus in alijs, etiam ſi habeat priuilegium, quod ſibi credatur de facultatibus, & præſertim in his, quæ bono publico aduerſantur, etiam ſi aſſerat ſe litteras perdidiſſe. Sylueſt.verb.Delegatus q.10.poſt D.Cardinalem Io. de Turrecremata in cap.Nobiliſſimus.97. di.dicentem,quod Legato ſine litteris nunquam creditur, ſi aliquid velis definire, & inſtituere in preiudicium alterius;ſecus in alijs,& Federic.de ſenis conſil.200. dicit, quod Legatus non poteſt agere in præiudicium alterius.

No. 4. Litteris exhibitis, loca Ciuitatis, & præcipuè ſacra viſitet, vt à Deo initium ſumat, & pro indigentia eis iubeat prouideri. De carceribus, & carceratis hu. maniter inquirat,& diutius abſque neceſſitate detentos mandet expediri. Item de Curialium qualitate.horum enim odio, aut auaritia nocentium ſtudetur impunitati, & innocentium procuratur perditio. Studeat apud ſe habere viros probos, qui cauſas deferant,conſiderans tamen nihil magis optabile populis,quã ad Principis aures accedere, & nihil in Principe æquius, quàm auditũ ſubditis præbere; vnde & antiquitus de iuſſu,Principes in portis Ciuitatis ſedebant,vt non deſatigarentur iudiciũ quærentes,ſed aduentantibus iudiciũ offerrent pſ. 118. & Hierem. Tren. & de Ludouico S. Gallroum Rege id,inter plura laude digna commendatur,quod cauſis pauperũ bis inhebdomada vacaret;Et Io.Elemoſ. Epiſc. exclamabat. *Qui ſumus nos,qui aures Dei habere ad nutũ optamus,& portas pauperibus,& populis occludimus, &c.* Curet Legatus, ſubditos benignitate allicere, non faſtu terrère nihil enim in Principe Eccleſiaſtico incomptius vt nihil pietate proprium magis eſſe deceat. Familiam habeat ab omni auaritiæ ſorde alienam, nobiles, diuiteſque quidem honore debito colentem, ſed quæ pau-

Digitized by Google

per em non ſpernat, non increpet, non reijciat, non excludat nõ ſit lucri ſectatrix, ſed de pietate ſolicita, & Domini ſui decore anxia. Innumera alia congerit D. Bernard. quæ ab Archiepiſcopo Sanctiſs. Antonino recẽſentur, & celebrantur; quibus viri, qui Dei timore aguntur, ſummopere applaudunt, & omni animi promptitudine ac hilaritate obſequuntur.

Ipſius muneris eſt, commiſſam ſibi prouinciam tenere paratam, & eam purgare malis hominibus, & eos punire, vt ff. de off. præſi. l. 3. & l: congrius, extra de off. iudic. ord. c. p. ff. de offic. præf. Vrb. l. p. §. quies quoq; Item prouincialium cauſas audire. extra de offic. leg. c. p. & n. 9. 6. Decreto, ſed de hoc inferius dicendũ. Item inuigilare debet ſaluti, & ædificationi chori, & populi ſibi commiſſi, vt ff. de off. præf. Vrb. l. eodem §.

PARAGRAPHVS IV.

Quam ex ſui inſtitutione Legatus de latere obtineat Auctoritatem.

No. 1: Legatus de latere habet iuriſdictionem ordinariam, Bald. ff. de offic. Proconſ. No. in cap. Legatos de off. leg. in ſexto, quæ & id indubitanter afferit quoad ea, quæ ei competunt iure Legationis. Apparetque eum eſſe Ordinarium, quia ad eum vniuerſæ cauſæ criminales, & ciuiles in prouincia deferuntur. Innoc. in cap. quod translationem, de offic. leg. & Bellarm. in obſeruat. ad Concilium Tridentinum ſeſſ. 6. cap. 3 de reform. l. neque obſtat, quod vicesgerat Papæ, quia Papa in toto mundo habet iuriſdictionem 1x. q. 2. cuncta per mundum. Vel etiam dici poteſt, quod habet iuriſdictionem ordinariam inordinario

nario modo per Abb.in cap.cũm non,de off.leg. Et habet imperium ſuper omnes Iudices in prouincia poſt Principem,vt docet Innoc.ind.cap.quod tranſlationem.

No.2. In his vero, quæ Legato competunt ex ſpeciali facultate, habet delegatam iuriſdictionem, & eſt communis Doctorum ſententia, quam approbat No.in cap. Legatos eo tit. ſed & idem eſt in Epiſcopis in his quæ eis ſpeciali commiſſione,vel indulto demandantur.

No.3. Legatus de latere non poteſt ſe ſubijcere alicui infra Dominum Papam, excepto iudicio animæ per extrauag.de pænit.& rem. Ne pro dilatione;Io.de Turre cremata in 2.q.11.Nos ſi competenter.

No.4. Legatorum facultatem ſecundum temporum, & negotiorum exigentiam metiri docet Cherubim, Schedol.p. ad Conſt.Innoc. VI.Cum onus; quod quidẽ intelligendum eſt ſano modo, hoc eſt, cum reſpectu ad commiſſiones, & non ad exceſſus earum, niſi vbi Epicheia aliquid faciendum decerneret. Quid autem poſſit Legatus de latere,ex triplici capite colligendum eſt p.ex litteris ſuæ Legationis, De priuileg,c.porrò,& non eſt contra 25.q.11.ſeruatis; quædam tamen poteſt, etiã ſi non exprimantur cap.ſtuduiſti de off.leg.Innoc.ad d. cap.quod tranſlationem, videlicet, aut quia prioribus connexa ſunt itavt illa ſine iſtis agi minimè poſſint, aut quia ſunt conuenientia inferioribus; ſecundo alias facultates habet ex Canone, vt pluribus textibus edocemur; Tertio,ex conſuetudine,quæ in litteris nimis oneroſum eſſet exprimere, Ita ex teſtibus modo allegatis. In his omnibus pares quoslibet de latere Legatos crediderim,quia vtOrdinarij his potiuntur,eadem autem eſt facultas Ordinariorum eiuſdem generis, & ſpeciei, vt titulo de off. ordinarij. In his, quæ ſpecialiter Papæ reſeruantur,credunt aliqui non valere conſuetudinem,

ſed ipſe op poſitum ſentit cum Abb in cap. cum non non, & cap. quod translationem n.4. ſaltem ex conceſſione Romanæ Eccleſiæ, dummodo tales facultates fuerint inſertę litteris inſtitutionis ſecundum Ho.ib.

No.5. In Legato de latere reſidet quidquid poteſtatis eſt in Patriarchis, Archiepiſcopis. Epiſcopis, Abbatibus, &c. ſuæ Prouinciæ Abb. vbi ſupra, Gambar. lib. 2. cap. 2. n. 55. & hoc quoad vtrunque forum, interius, videlicet, & exterius. Et quamuis aliquid ſit reſeruatum Sedi Apoſtolicæ, ſi materia non ſit de ſe grauis, hoc permittitur Legato de latere, per Glo. in cap. Auctoritate. de inſtitut. Poteſt Legatus ea, quæ ex ſpeciali reſeruatione competunt Papæ, ſunt tamen ſolita concedi Legatis, quoniã hæc tranſeunt cum generali mãdato legationis. caſus eſt in d.c. quod Translationẽ, ſolita cõcedi ſecundum veriorem ſententiam, dicuntur, quæ duobus Legatis ſucceſſiue conceſſa reperiũtur, neq; exigitur tẽpus immemorabile, quia hic non agitur de obligatione vt notat Abb. in d.c. quod ttanslationem n.4. Neq; neceſſitas concedendi releuat, quoniam ſemper ex cauſa ſpeciali huiuſmodi mandatur. In caſu neceſſitatis vrgentis potes Legatus omnia, aut plura, dummodo non ſint ex incommunicabilibus, quæ Papæ reſeruantur inſignum ſpecialis priuilegij; quia D. Papa intelligitur velle prouidere fidelium ſaluti, & commodo, & in caſu neceſſitatis nemini deeſſe, & neceſſitas facit licitum, quod alias licitum non erat. De regul. iur. in ſexto.

No.6. Potes Legatus de latere commiſſiones quaslibet alijs demandare exequendas, & hoc eſt ſpeciale in eis, cap. quoniam de off. Leg. §. cæterum. Nou poteſt tamen prouinciam legationis titulo obtentam per Locumtenentem, aut Offi ciales quoſcunqu: adminiſtrare, ſed perſonaliter eidem, ant ſemper, aut fere ſemper adeſ-

ſe conſtitit: Leonis X. ſupernæ. Neque poteſtatem ſuam extra terminos ſuæ legationis regulariter exercere Ita in litteris, & pluribus textibus. Poteſt ſtatuere, & executionem demandare eorum, quæ ad ſuæ legationis officium de iure, vel conſuetudine pertinent, & quæ ad honorem Sedis Apoſtolicæ, & ad pacificum ſtatum ſuæ legationis ſpectant gerere, quomodolibet opportuna ſint; *Etiom ſi ſint maiora expreſſis in litteris, quæ ſpecificam, & indiuiduam mentionem requirunt, non obſtantibus quibuſcunque conſtitutionibus Pontificijs, & locorum, &c* Ita in Litteris.

Digitized by Google

LIBER SECVNDVS

De Auctoritate Legati de latere in certa Genera Perſonarum.

IN vniuerſali iactis, & habitis principijs, via nobis ſtruitur ad concluſiones eliciendas; At in his, quæ praxim concernunt, ex circumſtantiarum multitudine, ac varietate labor naſcitur; Idcircò cum in materia exercendæ poteſtatis circa iudiciorum formam, perſonas, loca, res, &c. verſemur, pro intellectu, ac captu promptiori gratum cenſeo fore, vt ſi quæ capite poſtremo ſuperioris libri tacta fuerũt, vt generalia, ad ſingula propoſte accommodentur, ac à Perſonis, quas Legati reſpicit iuriſdictio ſumatur exordium, & præcipua digna notatu hoc ſecundo libro abſoluantur.

PARAGRAPHVS I.

Quam habet Legatus de latere authoritatem in Delegatos.

No. 1. HAbet Legatus de latere facultatem auocandi cauſas à quibuſcunq. Ordinarijs, & Delegatis, quæ ex vi litterarum ſolẽt concedi, vt in principio fere earum pro D. Legato Romandiolæ, & Ferrariæ &c. apparet. Sunt tamen, qui credunt, nomine Delegatorum intelligendos eſſe Delegatos Ordinariorum, non autem D. Papæ, quoniam reſpectu horum clamant omnia iura, eòs non compræhendi dictione illa, niſi fiat de eis mentio ſpecialis, qualibet docet regula, quare ſub-

Digitized by Google

ſubdunt. Non poteſt Legatus de cauſa delegata ſe intromittere, quia mandatum ſpeciale derogat generali c. ſtuduiſti de off. leg. Sententiam tamen Delegati rationabiliter latam valebit Legatus confirmare, & mandare executioni d.cap.ſtuduiſti: Sed hoc quod dicitur valebit confirmare, refertur potius ad factum, quàm ad ius, quia verè nullam habet ſuper tali ſententia cognitionem, ſed ad inſtantiam Delegati poteſt illam executioni mandare per Glo. ib. Ad executionem tamen dictę ſententię non poteſt Legatus à Delegato compelli, ſed ſupplicari debet; Nec obſtat cap.Paſtoralis §. quia vero, nam non loquitur de Delegato, ſed de Ordinatio loci.

No.2. Legatus non poteſt impedire executionem ſententiæ latæ à Delegato etiam ſi pronunciaſſet contra formam mandati, quia hoc eſt Delegantis. Vnde minus bene videtur ſenſiſſe Gambara lib.8.n.99.aſſerendo oppoſitum, ſed noſtra aſſertio habetur in c. Venerabili de off. Delegati, & in hoc Delegatus ſpeciali eſt maior Legato per Glo.in d.c.ſtuduiſti. Poſſet quidem reddere Principem certiorem de exceſſu, immo & interim impedire, ſi de graui præiudicio alicuius ageretur, quod immineret, & ſuſpicaretur rationabiliter de mente Delegantis, ob Epicheiam, ſecus verò non.

No.3. Non poteſt Legatus compellere Delegatum negligentem, Glo.in d.cap.quia delegatus Papæ in cauſa ſibi commiſſa eſt maior omnibus citra Papam, & pro eadem, atq; in ea debet honorari, vt Papa. cap. Significaſti de off.deleg. & per Abb.ib.n.p. Poteſt tamen cognoſcere cauſas à Delegatis Sedis Apoſtolicæ interpoſitas: Hoc habetur in ſupradictis litteris legationum.

No.4. Delegatus tenetur oſtendere ſuum mandatum Legato; quia cum deroget mandato generali eiuſdem

Legati, debet iſte cognoſcere, quibus terminis ſuæ iuriſdictioni opponatur. Licet mandatum ſpeciale deroget generali, ſi tamen de nouo oriatur cauſa, aut antiqua detegatur, quæ in mandato ſpeciali veroſimiliter conſiderata non fuerit, quæq; ſi fuiſſet conſiderata, mandatum illud ſpeciale non emanaſſet; tunc habens generalem commiſſionem poſſet impedire habētem ſpecialem, per Abb. in c. ſtuduiſti.de off.leg. Si quis obtineat à D. Papa reſcriptum ad Delegatum, poteſt præueniri à Legato tanquam Ordinario, cùm aeſcripto vſus non fuerit. Abb.eod.cap. Legatus non debet permittere, quod Delegatus habeat Officiales armatos, niſi hoc ille habeat ex ſpeciali priuilegio, ſicut in Clem.II.de hæret.indulgetur ſpecialiter Inquiſitoribus hæreticæ prauitatis, & iuxta No.in cap. per hoc de hæret, in ſexto, Abb. c. ſtuduiſti de off. Deleg.n.10. Legato adueniente, ſuſpenduntur officia aliorum Legatorum non de latere c.Volentes de off. leg. Hoſtien. in c. mandata de præſumpt. Alberic. de Ros: in dict. eod.tit.§. Legatus.

PARAGRAPHVS II.

Quam authoritatem habeat Legatus de latere in Epiſcopos.

QVoniam officium Legati in quibuſdam ſimile eſt officio Delegati, & vterq; gerat vices Superioris ſcilicet, Domini Papæ, vt in rubr.de off.leg. Ideo locum priorem dedi Delegatis modo de Epiſcopis, & Ordinarijs dicturus.

No. 1. Epiſcopi iurant reuerentiam Legatis de iur. iur.cap. Ego enim, ſub his verbis, *Legatum Sedis Apoſtolicæ quem certum eſſe cognouero, in eundo, & redeundo honorifice*

norifice tractabo, & in ſuis neceſſitatibus adiuuabo. Epiſcopus Legato de latere præſente, non poteſt populo benedicere, nec vti Cruce, Mozzeta, vel Roccheto diſcooperto; ex Decret. Sac. Congreg. Rituum in Peruſ. 2. Octobris 1601. Nec Patriarchæ vti pallio: No. in c. antiqua de priuileg. & in c. volentes, de off. leg. Intra propriam Eccleſiam, non præſente Legato, vel eo annuente poteſt populo benedicere ib.

No. 2. Non poteſt Legatus ex generali legatione etiam ampliſſima. transferre Epiſcopos, vel vnam Cathedralem alteri ſubijcere, vel concedere ius Primatiæ vel duos Epiſcopatus vnire, aut vnum diuidere; cap. Niſi ſpecialis. de off. leg. quia hæc reſeruantur Papæ, ex ſpeciali priuilegio, quæ non transferuntur generali mandato. No. in d. c. Niſi.

No. 3. Vbi vigeret mos eligendi Epiſcopos, poſſet eorum electiones confirmare, dummodo eſſet in prouincia, cap. Si Abbatem de elect. in ſexto, & No. ib. Non poteſt dare Coadiutorem Epiſcopo, quia eſt de ſpectantibus ad Sedem Apoſtolicam. cap. Paſtoralis, de Cler. egrot. in ſex. & per Glo. ibi, Legatus excluditur. In remotis tamen, neceſſitate vrgente, poſſet dare Coadiutorem, in d. cap. Paſtoralis. Nec officit, quod id concedatur Capitulo tanquam Papæ Delegato, nam non excluditur Legatus, ſi ſit præſens; Ideo enim committitur Capitulo, quia vt plurimum non eſt in Ciuitate perſona dignior. Poteſt Legatus de latere rationabili de cauſa Epiſcopum interdicere Glo. in cap. Periculoſum, de ſent. excomm. & in litteris Legationis, vt ſupra, dum detur Legato facultas in quoſcunq; exemptos, cuiuſcūq; dignitatis, ſtatus, conditionis, ordinis inobedientes, vel legum contemptores. Nec huic obſtant dicta in eo cap. quia periculoſum, Epiſcopis fauorabilia, quia per illa

C ex

Digitized by Google

eximitur Epiſcopus tantummodo ab authoritate Archiepiſcopi quoad non poſſe excommunicari, non autem eximitur à Legato. c.Ne Aliqui, de priuil.& c. Veniens, de verb.ſignif.in ſexto. Rationabilis autem cauſa eſt, ſi Epiſcopus impediat facultatem Legati, aut impedientibus cooperetur, vel eos defendat, & tueatur, de off.deleg,cap.quia quæſitum, & 94. di.ſiquis, & 23. q.4. Inter,& cap. Guiliſarius,& 2.q.7. ſiquis ab Epiſcopo, & Abb.in d.cap.quia quæſitum n.p: Si quæras, coram quo ſatisfaciet Epiſcopus ſic excommunicatus; per quod coram Papa, vel Legato eodem per D.Io.de Turrecremata 94.di.in cap ſi quis. Non item poteſt interdicere, ſi negligens fuerit, aut conſilium dederit abſq; opere Glo.in d.cap. Neq;Epiſcopum contradicentem, aut impedientem de iure, vt per Glo. pro illorum de præb.& Felin.in c. cauſam quæ n. 42. de reſcript. dummodo non impediat de facto,ſicut neq; interdicere poteſt Aduocatos,Procuratores, aut principales, qui iure, iuriſque defenſionibus ipſius decreta ſtudent impedire. Poteſt Epiſcopum interdicere abſq;alia monitione,quia ſufficit probata culpa, vel notoria, 5.9.4.In loco, Syluester verb. interdictum.3. q. 6. Per hoc non derogatur Concilio Tridentino ſeſſ.24. cap.5.de reform. quoniam ibi eſt ſermo de cauſis grauioribus, & criminalibus contra Epiſcopos, quæ depoſitione, aut priuatione eſſent dignæ. Epiſeopus interdictus, vel ſuſpenſus à Legato ab officio Pontificiali poteſt exercere Sacerdotale, etiã cum Pontificalibus, abſq; irregularitate, Syluester verb. Interdictum 4. 9. 4. n.3. ſecus ſi exerceat aliquid per ſe ſpectans ad officium Epiſcopale.

No.4. Poteſt abſoluere à caſibus reſeruatis Epiſcopo, & committere abſolutionem, non ſimpliciter, ſed in caſibus occurrentibus, Naldus verb.Legatus n. 3. Non tamen

tamen poteſt abſoluere à cenſuris ab Epiſcopo latis per ſententiam. Non poteſt aliquid facere in præiudicium Epiſcopi quoád ius quęſitum. Deci. in cap. ſua nob. de conſ. vtil. vel inutil.

Quęritur an poſſit appellari ad Legatum omiſſo Epiſcopo. Gloſſ. in cap. omnes Epiſcopi 2.q.5. tenet negatiuam, nam videtur, quod id ſolius ſit Papæ, aut Principis non recognoſcentis Superiorem; Verum affirmatiuam tenet Abb. in cap. cum non, de off. leg. & ratione ab eo allegata ſuadetur. Nam ſi appellatum à Prælato inferiori Epiſcopo, & ad Epiſcopum appellandum eſſet, cum Legatus concurrat cnm Epiſcopo, & quolibet Ordinario, poterit ad ipſum, omiſſo Epiſcopo, appellari; Et idem dicendum eſt de appellatione, quæ fieret ab Epiſcopo, omiſſo Archiepiſcopo, ad Legatum. Sed contrarium videtur in cap. peruenit. 11.q.p. Vbi à S. Gregorio Papa repræhenditur Romanus Legatus Papæ in Sicilia qui Clericos illius prouinciæ cogebat ſtare ſuo iudicio.

Reſp. D. Io. à Turrecremata in eodem cap. ex Archiepiſcopo, quod iuſtè repræhenditur dictus Legatus, non propterea quia audiebat cauſas Clericorum, qui voluiſſent eligere eius audientiam, prætermiſſis ſuis iudicibus, ſed quia ad id faciendum eos compellebat vi, cum deſpectu Epiſcoporum, quibus, vt idem ait Gregorius, ſua iuriſdictio eſt ſeruanda.

No. 5. Epiſcoporum reſidentium ſententiæ non ſuſpenduntur per appellationem ad Legatum in concernentibus morum correctionem; Pij IV. conſt. incip. de ſalute. Poteſt Legatus ognoſcere omnes cauſas criminales, & mixtas ad forum Eccleſiaſticum pertinentes in quacumque inſtantia præter primam: Ita habetur in litteris, & per Abb. in cap. quod translationem n. 9. Item omnium dictarum cauſarum quęlibet incidentia,

emergentia, & annexa, ita in litteris. In criminibus capitalibus, etiam mixtis, & cauſis ciuilibus ad forum Eccleſiaſticum pertinentibus cōcurrit cum Ordinarijs, & Epiſcopis ſuæ legationis ibid. Præuentionis inter ipſos datur locus; per ſolam autem citationem, & conuentionem præuenitur iuriſdictio, cap. Capitulum S. Crucis. de reſcript. excipiuntur ea, quæ Epiſcopo ſunt commiſſa tanquam Sedis Apoſtolicæ Delegato, cap. ſtuduiſti. de off. leg. Clement. quia contingit. Non tamen per quodlibet reſcriptum D. Papæ aliquid mandantis Epiſcopo facit eum Delegatum, ſed requiritur, vt apponatur clauſula *Tanquam Sedis Apoſtolicæ Delegato*. De off. ordinar. cap. licet. Sola præſentatio litterarum non ſufficit ad præuentionem, Glo. in cap. vt debitus. de app. Si probabilius eſt, non poſſe Legatum facere concilium prouinciale, aut Diocæſanum, regulariter loquendo 3. di. cap. regula dicta, per Glo. quia Epiſcopos cogere non poteſt. Cauſæ pecuniariæ inter Epiſcopos poſſunt cognoſci à Legato, quia, & hoc poteſt Metropolitanus. Item ſi ſint inter Epiſcopum reum, & priuatum, ſecus ſi Epiſcopus eſt actor, cap. Parochialis, de off. ordinar. & ibi per Abb. n. 2. niſi Epiſcopus fecerit recurſum. In nullis tamen cauſis poteſt Legatus Epiſcopum perſonaliter citare abſq; ſpeciali mandato. Legatus in procuratione præfertur Epiſcopo, & Archiepiſcopis, etiā extra caſum viſitationis cap. cum inſtantia de cenſi. Non poteſt aliquos eximere à iuriſdictione, & auctoritate Epiſcopi. Glo. in cap. Frater 16. q. p. & c. p. de priuil in ſex.

No. 6. Legati D. Papæ, & eorum Pænitentiarij poſſunt audire confeſſiones, ſine licentia Ordinarij; cap. quem penitet, De pæn. d. p. & ibi D. Io. de Turrecremata Syluest. verb. confeſſor. p. q. 4. Non poſſunt tamen dicti pænitentiarij audire confeſſiones Regularium, eoſque à re-

à reſeruatis Sedi Apoſtolicæ ſub quocunque prætextu facultatis, etiam Bullæ Cruciatæ: Nam regulares quoad Sacramentum pænitentiæ ordinariæ diſpoſitioni Sedis Apoſtolicæ, & ſuorum Prælatorum ſubiecti ſunt, cũ excluſione Legatorum, etiam de latere quoad alias diſponendum, & iudicandum, &c, per Conſt. 105. Vrbani VIII. incip.in In ſpecula. Non debet Legatus admittere ad audientiam confeſſionum eum, quem Epiſcopus iure reiecit; non enim debet eneruare iuriſdictionem Epiſcopi, qui & ipſe legatione fungitur pro Chriſto 7. q.p.omnis. Quæritur quid ſi hoc non obſtante admittat, & ipſi admiſſi abſoluant? Dico, quod tenet abſolutio quia ab omnibus dicitur, quod poteſt quis de licentia Legati confiteri cui vult. D. Io. de Turrecrem. de pæn. di.p. quem pænitet, & non reperitur expreſſa prohibitio, aut conſtitutio irritans, nihilhominus ſine magna neceſſitate admittens peccaret, ratione iam dicta, Quin & ſi ſic reiectus recurrat per appellationem, & reperiatur idoneus & eruditus, poteſt ipſum admittere; quia cum dicitur, quod poteſt cognoſcere omnes cauſas criminales, & ciuiles, non excluduntur ſpirituales, & ipſe ad has habet iuriſdictionẽ. *Si obijcias*. Apud Doctores dicitur, quod Legatus poteſt inſtituere duos Pænitentiarios, ergo non plures, Tabien. verb. Abſolutio p. q. 19. Sylueſt. & alij. ℞. illud dictum eſſe intelligendum regulariter, & non obſtare, quo minus abſolutio ſic admiſſorum ſit valida, cum ſit præſtita ab habente iuriſdictionem in ſpiritualibus.

Secundo quæritur. Si Epiſcopus neminem vellet admittere ad audientiam confeſſionum, poteſt ne Legatus ſupplere exponẽdo viros idoneos ad tale munus? ℞. quod ſic, quia licet ob culpam Epiſcopi non deuolua-

luatur iuriſdictio, deuoluitur tamen ex negligentia, per Glo.in cap.Romana, de ſupplend.neglig.Prælatorum, & præſertim ſi immineat animarum periculum,aut ſcãdalum,aut populus reclamauerit, poteſt,& debet viros aptos exponere, ſaltem quoad vſque à Sede Apoſtolica prouideatur.

Neq; hæc repugnant Concilio Trid. ſeſſ.24.c.20.nec mandato S.D.Innocentij X. Ne Legati ſe intromittant in materijs ſpiritualibus à Concilio demandatis Ordinario; Regulariter enim loqoitur, & extra caſum. Tertio quæritur: An Legatus poſſit alicui concedere facultatem, vt à caſibus quibuſcunque,ſuper quibus poteſt ipſe abſoluere,à quocunque Sacerdote approbato abſoluatur? ℞.Quod poteſt, quia quæ per ſe ipſum poteſt, aliis quoque poteſt demandare extr.de off.leg.cap.vlt. Quartò quæritur. An poſſit tales facultates vniuerſaliter concedere,& in perpetum? Dico,quod non,quia ipſius authoritate ceſſante, ceſſat dicta facultas, cap. Præſenti.de off.leg.in ſex. Quintò quæritur; Sed quid ſi pro ſemel, vel pro duabus vicibus concederet talem facultem, & interim ſpiraret eius Legatio? Dico, quod poſſet ille vti tali facultate, etiam finita legatione, quia potuit concedere,& beneficium non debet eſſe inutile, & non arctauit ad tempus, licet non poſſit ad ſemper, quia eius legatio perpetua non eſt. Sexto quæritur,duo litigant de Epiſcopatu,poteſt ne legatus cognoſcere de cauſa? Videtur quod non, quia hoc eſt de maioribus cauſis, quas ſibi Apoſtolica Sedes reſeruat,vt conſt.Alexander IV.de reſcript. dilecti, & 25. q.2. In Galliarum extr.de ap.vt debitus inſi.

Reſp. Quod ſi poteſt de cauſa cognoſcere, ſicut Metropolitanus poteſt, quin & viſitator poteſt examinare,

re,quis ex electis melior ſit 85.di.Florẽtinum, & conſt. Greg.X.de elect. quamuis. in ſex. Immo etiam de iure poteſt examinare electionem Archiepiſcopi extra de off. leg. licet.

PARAGRAPHVS III.

De Auctoritate Legati de latere in exemptos.

Licet in quibuſdam non ſit inter Legatos diſparitas, vt de reſcript. cap. ſtatutum; in aliquibus tamen diſpariter ſe habent; & inter ea eſt confirmatio exemptorum. Cap. Si Abbatem.de elect. in ſex. & in cognoſcendis cauſis exemptorum, & puniendis eiſdem, de verb.Signif.cap. p. Ideo hic agendum de authoritate Legati de latere in exemptos, pro quo.

No.1. Legatus de latere virtute mandati generalis habet iuriſdictionem contra, & ſupra omnes exemptos, quantum ſupra alios ſuæ prouinciæ, ſaluis dumtaxat ijs, quæ Sedi Apoſtolicæ ſunt ſpecialiter reſeruata. Glo. in c. cum non ignoretis. de off. leg. No. Gemin. in c. Si Abbatem de elect: in ſex. §. huiuſmodi. Hinc ſequitur Eccleſias exemptas teneri ad procurandum Legatum, quia Sedes Apoſtolica non concedit priuilegia contra ſe, cap. cum inſtantia.de cenſi; & ib. per Abb. Per conceſſionem factam Legato, vt poſſit exigere procurationem à quibuſcumque perſonis etiam exemptis (quamquam obtinuerint talia priuilegia, vt de eis debet fieri mentio de verbo ad verbum) derogatur eiſdem priuilegijs, & quia apparet mens pontificis, & quia per verba generalia pleniſſime reuocantur omnia priuilegia, ſtatuta, & conſuetudines. Clement. Dudum de ſepult. Concil. Trid.ſeſſ.5.de reform.cap.p. Rodriguez tom.3. q.180.

q.180. Sylueſter verb. Delegatus.q. 22. Laurent. Peirin. ad Conſt.2.Sixti Quarti, & poteſt interpretari litteras Apoſtolicas ſuper hoc impetratas.Specul.de leg.c.2. vbi recenſet quam portionem taxet curia Cardinali Legato in itinere conſtituto. Sequitur ſecundo, quod Legatus poteſt, ſicut, & Epiſcopus, denunciare exemptum excommunicatum; Rodrig. ib. Sequitur tertio, quod Legatus poteſt exemptos compellere ad inſtitutionem lectionis Sacræ Scripturæ in Monaſterijs,in quibus eſt ſufficiens commoditas. Concil.Trid.ſeſſ. 5. de Reform.cap.p.Sylueſt.vbi ſupra Rodrig.ib.

No.11. Poteſt Legatus diſpenſare cum Religioſis, vt leges audiant,Rodrig.tom.3.q.67. a.5. Legatus habens facultatem conferēdi beneficia etiam Regularibus poteſt id facere ſine licentia Abbatis, quia vt Dominus operatur conſenſum. Rodrig. tom. 2. q.124. a.3: Religioſus poteſt eſſe Locumtenens Legati,& decidere cauſas, ſi inſtituatur generaliter, quia Legatus eſt Dominus & Ordinarius exemptorum Barba. de off. Præſid. deciſ, 174.Glo. in cap.Authoritate. ver. Sedis Apoſtolicæ.de priuil.in l.Gemini, & in cap.Nullus.de temp.ordin.in ſex.S.ſin.Rodrig.tom.2.q.124. Habens facultatem conferendi beneficia Regularibus, poteſt quoq; conferre penſionem Regulari renunciāti beneficio ſuo Regulari, quod habebat in titulum perpetuum, dummodo ſit Regularis religionis, in qua poſſit habere aliqua pro victu, & veſtitu.

No.3. Poteſt Legatus omnes cauſas, etiam criminales exemptorum audire,cognoſcere,terminare,&c. In litteris. Non tenetur obſernare leges præſcriptas Epiſcopo circa Regulares delinquentes extra clauſtra per Concil.Trid.& Sac.Congreg.Concil.recitatas à Rodrig. reſolut. 62. quia eſt Ordinarius exemptorum. Poteſt

judi-

iudicare,& punire regulares exercentes aſtrologiam iudiciariam iuxta contenta in Conſt.17.Sixti V. incip.Cæli, & terræ, & in 113. Vrbani Octaui incip.Inſcrutabilis. Nec minus parendum eſt Legato, quam Pontifici maximo, cap. cum parati de app. cap. Si Abbatem de elect. in ſex.

No.4. Non poteſt diſpenſare, vt profeſſus in vna religione,& præcipuè laxiori eligatur in alia ſtrictiori in ſuperiorem, Innoc.cap.officio, de elect. Non debet ſe intromittere de redditibus, cellulis, villulis, Monaſteriorũ exemptorum 18.q.2. quam ſit. Non poteſt addere, aut detrahere his,quę ſunt regulæ,quia id ad Principem,hoc eſt, ad Papam ſpectat,cuius eſt ea condere, aut confirmare Syluester verb. caſus. Religioſi in his, quæ ſunt Regulæ tenentur magis obedire Abbati, quam Legato 18. q.2.per plures textus. Licet poſſit diſpenſare in his,quę priuilegio permittuntur,non poteſt tamen tollere priuilegia ſuper toto, aut parte. Gloſſ.in cap. Illorũ de prębNon poteſt infringere exemptionem,quam aliqui habet ab Ordinario, quia licet teneat locum Sedis Apoſtolicæ, non poteſt adimere ius Tertio.de Relig. Domib. cap. conſtitutus. Poteſt compellere exemptos ad parendum ſuis mandatis, etiam per cenſuras. In litteris. Non poteſt diſpenſare cum Parocho, vt abſit cauſa ſtudiorum ex Concil.Trid.ſeſſ.23.cap.p.de reform. Poteſt deponere Præsbiterum adiunctis ſibi alijs Epiſcopis 15.q.7.Felix & cap.ſi autem, Glo.in cap.cum non ignoretis ib.

No.5. Non obſtat auctoritati Legati Conſtitutio decima Pij IV. De ſalute, quæ inſtituit Epiſcopos reſidentes Delegatos in cauſis criminalibus Regularium, quia Legatus eſt Regularibus Ordinarius. Poteſt confirmare electionem exempti in ſua prouincia,ſi exemptus ſit immediate ſubiectus Papæ c.ſi Abbatum de elect.in ſex. &

cap. cupientes eo tit. Non poteſt confirmare electiones exemptorum mediatè ſubiectorum Papæ, vt ſunt Priores Prouinciales, &c. Hi enim, & ſi ſint exempti, habent Generalem totius Ordinis ſupra ſe. Tabien. verb. Confirmatio n. 4. quando confirmatio eſſet petenda à Papa, & electus eſſet valde remotus, poſſet confirmari per Legatum, etiam ſi eſſet exemptus, & adminſtratio non pateretur moram c. Nihil de elect. Alberic. de Roſ. in dict. eo tit. §. quot ſunt. Poteſt dare facultatem Regularibus alienandi in caſibus licitis, in quibus Epiſcopis minimè ſuffragatur vſus immemorabilis. Pizacedius praxi Epiſcoporum p. 2. c. 3. art. 6. de viſit. Regul. n. 34.

PARAGRAPHVS IV.

De Authoritate Legati de latere in Moniales.

MOniales veniũt nomine Religioſorum; quoad proportionalia, Panorm. de ſtatu Monach. c. 5. Rodrig. de Regul. tit. 3. q. 5. a. 2.

No. 1. Poteſt Legatus ex iuxta cauſa ingredi Monaſteria Monialium, ſicut Epiſcopus. Poteſt ſe intromittere de gubernio ſpirituali, & temporali Monialinm ſubiectarum Sedi Apoſtolicæ, quia plus poteſt in exemptos quam Epiſcopus, Clem. quia contigit, relig. domib. Poteſt monaſteria viſitare, & Epiſcopo negligente diſponere circa ſpectantia ad clauſuram. In prohibitionibus Apoſtolicis circa Moniales, nomine Prælatorum, & Cardinalium non veniunt Legati de latere. Poteſt Moniales ob graue delictum abſoluere, quia non poſſunt exire. Poteſt admittere ſeculares mulieres habentes facultates Apoſtolicas ingrediendi Monaſteria Monialium cum conſenſu earundem, etiam ſi conſenſus non ſit capitularis,

Digitized by Google

ris, & ſecretus; Nam id requiritur in inferioribus Prælatis, & Iudicibus Conſt. 29. Vrbani VIII. incip. Sacroſanctum. Non poteſt concedere licentiam Monialibus egrediendi Monaſteria præter caſus exceptos, quales ſunt, caſus magni iucendij, Epydimiæ imminentis belli, aut deuaſtationis in conſt. 8. Pij V. & eiuſdem declaratione, & Conſt. 7. Pauli V. incip. Monialium. Non poteſt abſoluere eos, qui abſque ſpeciali licentia fuerint ingreſſi Monaſteria Monialium, ſiue viros, ſiue mulieres ſub prætextu licentiarum obtentarum à Summ. Pontifice, Conſt. Greg. XIII. 28. incip. Vbi gratæ, quia eam Papa ſibi reſeruauit, excepto mortis articulo. Non poſſet abſoluere monialem egreſſam ex Conſt. Pij V. Circa paſtoralis, quia id pariter ſibi Papa reſeruauit; hodie tamen videtur concedi ſimilis facultas in litteris, & ideo ex conſuetudine abſoluet. Non poteſt in his, quæ circa Moniales Epiſcopo tanquam Sedis Apoſtolicæ Delegato ſunt demandata, niſi in caſu negligentiæ, aut neceſſitatis. Poteſt concedere licentiam accedendi ad monaſteria Monialium, cæteraque facere, quæ inferiores præſtant, exceptis ſpectantibus ad regulam, & obedientiam ſuorum Superiorum, & huiuſmodi. Non poteſt cogere moniales cuiuſcumque Ordinis Regularium ad ſoluendas decimas, ſubſidia, aliaq; onera ex Conſt *Pij* IV. incip. de ſtatu, quia hoc prohibetur ſub quouis prætextu fieri. Poteſt abſoluere Monialem, quæ Monialem perſuaſerit, vel Monachum; Nec obſtat, quod huiuſmodi abſolutio ſit Epiſcopi, vt Delegati Papæ per Glo. in c. de Monialibus, de ſent. excomm. quia reſpectu huius abſolutionis Legatus habet ampliſſimam authoritatem ſuper omnibus vndecumque ad ſe venientibus. Poteſt abſoluere ſibi ſubditos introducentes mulieres in monaſteria virorum, & mulierum, & eos habilitate, &c. Huiuſmodi enim de-

Factum non eſt grauius adulterio, per Conſt. Pij V. & Greg. XIII. qui tamen pœnas minimè reſeruarunt; Ioannes de la Crux li. 1. priuil. c. 6. dub. 15. Sigiſmundus dub. 98. de elect. n. 9.

Quæritur. An D. Legatus de latere Presbyter Cardinalis poſſit conſecrare Virgines.

Parti neganti in Legato Presbytero, ſeu non Epiſcopo hanc authoritatem fauere videtur 23. di. c. 24. Concilium tertium Carthaginenſe c. 11. ſub his verbis *Sanctimonialis virgo cum ad conſecrationem Epiſcopo offertur in talibus veſtibus applicetur, qualibus ſemper vſura eſt profeſſioni, & ſanctimoniæ aptis.*

Item 68. di. c. 4. Leop. ad Epiſc. Germaniæ, & Galliæ ſic ſtatuit. *Quãuis Choroepiſcopis, & Presbyteris plurima cum Epiſcopis miniſteriorum cõmunis ſit diſpenſatio, quædam tamen authoritate veteris legis, quædã nouellis, & Eccleſiaſticis regulis ſibi prohibita nouerint, ſicut eſt Presbyterorum, Diaconorum, & Virginum conſecratio.*

Item 26. q. 6. in Conc. Carthaginenſi ſecundo, Fortunatus Epiſcopus, Concilio approbante, dixit; Memini, præterito Concilio fuiſſe ſtatutum, vt chriſma, vel reconciliatio pęnitentium, necnon, & puellarum conſecratio à presbyteris non fiant: Accedit decretatio S. Congregationis 1577. Parma. 17. Aprilis c. 105. quod ſi ſimplex Sacerdos Monialem conſecrauit, reiteranda eſt conſecratio ab Epiſcopo, quia prima fuit nulla. Militare quoque pro eadem parte ſententia D. Th. 4. ſent. di. 38. dicentis quod ſolius Epiſcopi eſt Virginis conſecrare, cui ſubſcribunt Petrus de Palud. D. Antoninus, Syluester: verum pro affimante habetur ex Concil. Carthag. c. 36. *Presbyter, inconſulto Epiſcopo, Virgines non conſecret;* Rurſus in titulo

ti.ulo eiuſdem Canonis dicitur: *Presbyter permiſſione Epiſcopi Virgines conſecrare valet;* ſed & currit argumentum à contrario ſenſu per Glo.in d. c.

Rurſus Glo.26.q.p.c.6.verſ.ab altari, inquit; *Virgo velatur ab Epiſcopo, vel Sacerdote, quia Virgo typum gerit Eccleſiæ, quæ pura, & Virgo vni nupſit viro, ideſt Chriſto & & in ſignum huius rei velatur à Vicario Chriſti, vel Sacerdote, quia à Chriſto accipitur in coniugium, in cuius perſona dictum eſt, Annulo ſuo ſubarrauit me Dominus*, Et quod de vera, & propria conſecratione loquatur Glo. oſtendunt poſteriora verba: *Illa enim fit per annuli dationem.* Item ex Innoc.in Codice in Ep.ad victriciũ cap.12.27.di. dicitur, *Quæ Chriſto ſpiritualiter nubant, & à Sacerdote velantur, &c.* Quid clarius? igitur reſpondendo.

Dico primo. Dominus Legatus de latere Presbyter Cardinalis poteſt velare, & conſecrare Virgines, hæc patet ex allegatis. Et probatur ratione. D. Legatus poteſt conferre ordines minores, quod maius eſt, ergo, & conſecrare Virgines. conſequentia euidens, cum ſimus in eodem genere cadentium ſub eadem iuriſdictione; Antecedens docet Dominicus Soto poſt alios in 4.ſent.di.25. q.1.ar.1. inquiens, quod Presbyteri Cardinales id faciũt ex conſuetudine, quæ eſt legum interpres. Probatur ſecundo. Poteſt authoritas conſecrandi virgines præſcribi, ergo committi alijs ab Epiſcopo, contra euidens, quia quæ propria ſunt Epiſcopo, & incommunicabilia, præſcribi nequeunt, cap.quanto.de conſuetud. & c. Auditis, de præſcript. Antecedens probat Tamburinus q. 5. n.8. dicens, quod nonnulli Abbates id poſſunt ex conſuetudine approbata.

Ad Cann. Concilij Carthag.4. dicitur, quod ibi non ſancitur lex de conſecratione Virginum ab Epiſcopo præſtanda, ſed ſupponitur ei competere de iure,

vt

vt ordinario, at non loquitur de cæteris:

Ad ſanctionem Leonis I. dicitur, quod illud non eſt prohibitum Choroepiſcopis, quaſi non haberent authoritatem conſecrandi, ſed quia in his ſe ingerebant nimis, vſurpando ſibi ea, etiam in præſentia Epiſcoporum.

Eadem reſponſio adhibetur loco ex 26. q. 6. ſi iubet; Nam ibi ſolùm declaratur Epiſcopo ex officio conuenire conſecrationem Virginũ,& ideò Presbyteri, eo præſente eam prohibentur exercere. Et rurſus non excluditur ſimplex Sacerdos ab hac functione defectu ordinis, ſed iuriſdictionis, iuxta quod D. Io. de Turrecrem. hanc de qua loquimur, vocauit actionem Monarchicam.

Ad D. Th. dicitur quod ibi non definiuit, an conſecratio Virginũm ſit ordinis, aut conſecrationis, nec ne, ſed attendit id, quod vt plurimum fiebat.

Ad declarationem S. Congregationis dicitur, quod nomine ſimplicis Sacerdotis non compræhenditur Legatus de latere, vt pluries in hoc libro oſtenditur, inſuper cũ nomine Epiſcopi veniat Legatus, vt Ordinariuscraino, & appellatione Sedis Apoſt. quoad id, quod eſt iuriſdictionis, ſequitur vt per dictionem excluſiuam, nõ excludatur Legatus. Sicut nec Superior Epiſcopo No. Gemin. poſt Archid. in c. Si Abbatum de elect. in ſex, & per Glo. in c. authoritat. eo tit.

Ad cæteros Doctores dicitur, quod reſpicientes ad id quod antiquitus, vt plurimum fiebat. aſſeruerunt Epiſcopum eſſe miniſtrum Ordinarium huius conſecrationis.

Nec obſtat, quod dicunt: Hoc eſſe munus conſecrationis, quia non ſenſerunt eſſe de primario ſpectantibus, & incommunicabiliter, vt cõferre ſacros ordines, ſed de conſequentibus, ob rei dignitatem, & de communicabilibus.

His videtur ſubſcribere D. Io. de Turrecrem. 95. di. Peruenit n. 3. dum docet; Illa quæ pertinent ad poteſtatem

tem

tem conſecrationis, & reſpiciunt corpus Chriſti myſticum, poſſe non Epiſcopis committi, & maximè Sacerdotibus, talis autem eſt conſecratio Virginum, igitur poteſt demandari presbytero, licet non conueniat ex officio.

Si quando vero Doctores dicunt non poſſe hanc conſecrationem demandari, intelligendi ſunt non abſolutè, ſed de de congruo, & Epiſcopo præſente .

Dico ſecundo, Legatus nō Presbyter non poteſt Virgines conſecrare. Probatur quia omnis operatio in corpus Chriſti myſticum, per quam gratia datur dependet ex operatione ſacramentali ſupra corpus Chriſti verum, &c.

PARAGRAPHVS V.

De authoritate D. Legati de latere in locis exemptis.

IVre communi, aut Legationis non plurimum authoritatis competere reperimus in locis exemptis, hodie tamen aliquibus Legatis facultas ampliſſima conceditur contra Bannitos ad loca ſacra confugientes . De quibus dicendum eſt per ſequentia .

No. 1. D. Legatus Flaminiæ poteſt omnes facinoroſos non gaudentes immunitate facere extrhai ab Eccleſijs, & ad effectum eos ſe defendentes extrahendi facere demoliri Eccleſias , etiam ſi mors ſequatur religioſorum ; De qua neq; ipſe, neque miniſtri eius teneantur , nec vllam incurrent irregularitatem , Ita in litteris . Quando autem Legatus nullum ſimile mandatum habet, poſſet vti hac facultate interpretatiuè ex ampla conceſſione ſibi facta in litteris facultatum; In his enim dicitur, quód Legatus poteſt cognoſcere de quibuſcunque incidentibus, emergentibus, & annexis cauſis criminalibus, etiam ad forum Eccleſiaſticum pertinentibus; ex qua vltima parti-

Digitized by Google

particula excludi videtur exceptio de exorbitantibus, aut de his, quæ veriſimiliter Papa non eſſet conceſſurus, quãdoquidem extractio facinoroſorum hominum immunitate non gaudentium inter annexa cauſis, aut inter cauſas ipſas ad forum Eccleſiaſticum pertinentes apertè compræhenditur, & Abb. in cap. quia quæſitum de off. Deleg. dicit, quod omnia videntur commiſſa, ſine quibus iuriſdictio exerceri non poteſt: Immo, & in litteris Ferrar. dicitur, quod ad effectum exercendi iuriſdictionem poſſit *facere maiora expreſſis in litteris*, etiam ſi talia ſint, de quibus in indiuiduo, &c. oporteret fieri mentionem. Quod quidem priuilegium inutile eſſet, ſi in caſu tam frequenti nullam haberet authoritatem. De priuil. c. quanto. Adde (quod, & efficacius videtur) quod in Conſt. Gregoriana negatur facultas extrahendi prædictos prælatis inferioribus Epiſcopis, ex quo aſſererem conceſſum DD. Legatis, qui ſunt Epiſcopis maiores, ex firmatione regulæ: Hinc deduco, quod D. Legatus habens talem facultatem, ad vſum huius non tenetur adhibere Officialem curiæ Epiſcopalis, neque extractum remittere ad carceres eiuſdem Curiæ: Nam d. Conſtitutio ad id obligans loquitur de Principibus, Iudicibus, ac Poteſtatibus Laicis, quorum licentiam intendit competere, vt ſatis patet ex verbis eiuſdem.

No. 2. Quamcumque habeat Legatus facultatem non poteſt extrahere gaudentes immunitate, quia cum immunitas ſit iuris Diuini iuxta cummunius placitum, non poteſt ab eo derogari, exceptis caſibus per Summi Pontificis interpretationem expreſſis. Debet Legatus à facili, & frequenti extractione cauère ob exemplum Principum Laicorum non aduertentium, aut nolentium aduertere, quæ aduertenda eſſent, & etiam quia populi de facili ſcandalum patiuntur. Si tamen Legatus gau-

dentes

Digitized by Google

dentes extrahat,non incurrit excommunicationem,quę Laicis, & Iudicibus inferioribus impoſita eſt per Gregorianam. In dubijs, An delinquentes gaudeant immunitate, cenſendum eſt eos gaudere, quia agitur de iure Eccleſiæ, & pro ea eſt iudicandum. Ant.de Butr.in c.cęterum 19.de iudic.Iaſon.in l.2.n.19.ff.ſi quis in iud.200.

Quæſitum, quidam ab homicidio proditorium, vt aſſerebatur, citatus non comparuit, damnatus eſt in contumaciam, ſe in Eccleſiam recepit, Aduocatus dicebat ipſum gaudere, eo quod in iudicio non conſtaret euidenter de proditione, ſicut de homicidio, de hoc enim erat plenè conuictus; de proditione verò inditiatus tantùm per dictum mortui, & mulieris diſcuſſo negotio per peritos coram D.Legato, determinatum eſt ipſum gaudere immunitate, non obſtante Gregoriana, quia in non manifeſtis potius ius eſt Eccleſiæ per Doctores; & licet potuerit condemnari in contumacia pro homicidio manifeſto, non tamen de proditione non plenè probata 2.q.6. quiſquis, & 39.noua decernimus, & per D. Ioan. de Turrecrem. ibi.& 23. q.3. Illicita.

PARAGRAPHVS VI.

De Auctoritate D. Legati de latere in Dominos temporales.

No.1. EX vi litterarum ſolitarum poteſt D. Legatus Perſonas cuiuſcumque gradus, & dignitatis iudicare, punire, priuare dignitatibus, honoribus,caſtris, ciuitatibus, feudis, retrofeudis, vicariatibus, officijs, iuriſdictionibus, gradibus, iuribus, & rebus omnibus, & Cameræ Apoſtolicæ confiſcare, & incorporare. Poteſt Capitaneos, Vexilliferos deponere, ſupendere, mutare.

Digitized by Google

Item declarare rebelles, qui ſe opponunt Curiæ, qui Bannitis manum dederint, defenderint, &c. Item conſanguineos compellere ad promittendum de non offendendo vſque ad quartum gradum. Item ab infamia, & inhabilitate ex delictis abſoluere, patrios honores reſtituere, & bona, non tamen incorporata fiſco. Item homagia, & iuramenta recipere nomine D. Papæ. Non poteſt alicui concedere exemptionem à ſolutione onerum Cameralium, aut tales habentes exemptiones manutenere contra Bullam Pauli V. vndecimam incip. In maximis. quia per ea Legatis quoque de latere huiuſmodi auffertur facultas.

PARAGRAPHVS VII.

De authoritate Legati de latere quoad collationem graduum.

No. 1. POteſt Legatus creare duodecim Comites Palatinos, quibus tamen competit facultas limitata per Concilium Tridentinum, cui non intendit D. Papa derogare. Poteſt creare Doctores, Magiſtros in Theologia, in iure, medicina, & artibus cum his conditionibus. Prima, quod aſſumat duos, vel tres in eadē facultate Magiſtros, aut Doctores aſſiſtentes; ſecunda, quod hi iurata vota præſtent de ſufficientia promouendo, Tertia, quod promouendi ſaltim per triennium in aliqua vniuerſitate ſtudij generalis operam dederint. Sic promoti gaudent omnibus priuilegijs, & gratijs, quibus vtuntur, qui in publicis gymnaſijs, ac Vniuerſitate creati ſunt Magiſtri, & Doctores; Non tamen in eis, in quibus ſpecialiter requiritur, quod in eadem Vniuerſitate gradum ſuſcipiant. Item, poteſt conferre officium Notarij, & Tabellionis, dūmodo ſint idonei ad tale munus, & præſtito iuramento fidelitatis in ſolita forma.

No. 2.

No.2, Non poteſt conferre, & diſponere officia, ſeù munera, pro quibus perſoluuntur ſalaria de pecunijs Cameræ Apoſtolicæ, ſeù quæ negotiorum, vel pecuniarum Cameræ prædictæ aminiſtrationem, vel cauſarum ciuilium, & criminalium cognitionem, aduocationem, defenſionem, procurationem, ſeù ſollicitationem habent. ex Conſt. 28. Vrbani Octaui incip. ſuperni.

Digitized by Google

LIBER TERTIVS

In quo agitur de auctoritate D.Legati de latere in Iudicialibus,& prouenientibus exeis.

PARAGRAPHVS I.

De auctoritate Legati in procedendo.

No. 1. POTEST D.Legatus de latere ex vi litterarum procedere contra criminoſos delinquentes, inobedientes, Canonum, & iurium contemptores; etiam ſi tales ſint Regulares, & exempti cuiuſq; ſtatus, dignitatis, condiditionis, & ordinis. Poteſt procedere per viam accuſationis, denunciationis, aut ex officio eos punire. Item audire cauſas criminales,& mixtas ad forũ Eccleſiaſticum pertinentes in quacumque inſtantia præter primam,quę coram locorum Ordinarijs cognoſci deberent;ex Concil. Trident. & Conſt.Sixti IV. incip.& ſi de cunctorum. Poteſt etiam in prima inſtantia committere, & delegare cauſas, vt ſupplicantis perſonæ miſeria, ſiue debilitas, & aduerſarij potentia id exigeret d. Conſt. Sixti Quarti. Item audire cauſas, eaſque terminare quomodocumque ad eum deſerantur, ſiue per appellationem, ſiue per ſimplicem querelam & licet ratione ordinariæ poteſtatis non poſſit per ſimplicem querelam audiri; poteſt tamen ratione legationis,vt Legatio aliquid operetur. ff. Ad municip.l.p.in fi. ff.de vſur.ſi ſtipulatus. Item cognoſcere de omnibus incidentibus, emergentibus, & annexis dictis cauſis, & definire. Et inuocare

bra-

Digitized by Google

brachium ſeculare ad formam Concilij Viennenſis. Non poteſt aliquid petere pro cognitione, & deciſione cauſarum, quæ ei à Sede Apoſtolica in qualibet inſtantia, cum earum auocatione à Iudicibus, coram quibus ſunt inductæ, vel ſine illa pro tempore delegantur, ſeù quouis modo remittuntur, ead. Conſt. Sixti IV. Legati ab ijs, qui pro tempore electi, aſſumpti, vel deputati fuerint ad aliqua officia, aut alijs pro eis, etiam ſponte ſoluentibus, & offerentibus directè, vel indirectè electionem eorum fieri procurantibus; vel etiam confirmationes malitioſè differendo, ſeù illas confirmando, nil vltra recipiant, quam per Conſtitutiones ſit promiſſum, nullamq; ſuper participatione de ipſorum ſalario, vel emolumenta pactionem ineant, aut iniri permittant per quoſcumq; præſertim domeſticos, & familiares ſuos ſub excommunicationis pœna Conſt. 15. Sixti IV. Et ſi de cunctorum. Pro cauſis, & negotijs, pro quibus viaggia concedi contigerit pro tempore iuxta Conſtitutiones, non præſumant Legati mittere alios, quàm Iudices generales Curiæ, ad quos ratione ſuorum officiorum pertinet cognitio cauſarum, nec de prouentis, aut viaggijs huiuſmodi quicquam ſibi & ſuis appropriare directè, vel indirectè, quouis colore quæſito præſumant in d. Conſt. Sixti IV. Hinc colligitur huiuſmodi ſibi appropriantem teneri ad reſtitutionem.

No. 2. Non poteſt Legatus pœnas, & mulctas prouenientes ex delictis, & criminibus quibuſlibet ad alterius, quam ad Theſaurarij manus, etiam ſub colore depoſiti facere quomodolibet peruenire, vel fiſco applicare, Pius IV. Conſt. 43. Immo, & habens facultatem, & licentiam eas expendendi in alijs vſibus, eas per manus Theſaurarij recipi, & exponi facere tenetur. d. Conſt. Sixti IV. & conſt. 9. Sixti V. incip. Ad Romanum Pontificem.

PA-

PARAGRAPHVS II.

De modo obſeruando à Legato in procedendo in Iudicijs.

No. 1. VIrtute litterarum conceditur Legato de latere, vt poſſit procedere in cauſis ſimpliciter, ſummariè, de plano, ſine ſtrepitu, & figura iudicij, quorum verborum ſenſus eſt, vt poſſit prætermittere ſolemnitates, quæ in cauſis, & iudicijs adhiberi conſueuerunt. Harum prima eſt oblatio libelli, quia ſufficit, vt actor faciat petitionem ſuam verbo, & quod grapharius illam redigat ad Acta Curiæ, ſecunda eſt litis conteſtatio, & conſequenter deliberatio, Clement. quia contingit de verb. ſignif. Poteſt procedere in ferijs ruſticis, non autem introductis in honorem Dei, & Sanctorum. poteſt amputare dilationes, & poteſt repellere dilationes fruſtratorias, prolongationes, acceptiones, & appellationes, & reijcere iurgia Aduocatorum, & Procuratorum, & multitudinem teſtium ſuperfluam, Glo. in Clem. ſepè contingit.

Non poteſt tamen vi harum facultatum procedere, non citato reo, neque non præſtito iuramento de calumnia, vel malitia, ſeu de veritate dicenda, neq; poteſt reijcere probationes neceſſarias, & legitimas, neq; auferre Iudicis recuſationem, qua nequeunt prohiberi defenſiones legitimæ; Nihil tandem poteſt omittere, per quod impediatur, vel occultetur veritatis cognitio; Vnde Abb. in c. fin. de confirm. vtil. vel inutil. dicit, quod omnia tendentia ad violationem iuris ſunt prohibita Legato.

No. 2.

No.2.Si ſupra dictæ particulæ in litteris ponātur diſiunctiuè,quod quodlibet horum verborum habebit effectū, quem ponit illa Clementina. Clauſula illa,ſine figura iudicij, licet tollat aliquid,per quod ordinatur iudiciū,non tamen ea, quæ inſtruunt, & decidunt cauſam, aut præbent cognitionem veritatis, Hæc enim non excluduntur per verba illa, *ſola veritate inſpecta*. Per nullam cauſam poſſunt tolli ea, quæ iure Diuino, aut naturali ſunt in iudicijs obſeruanda, & hoc nedum authoritate Legati, ſed nec Principis ſupremi, nulla enim in terris anthoritas ad illas ſe extendit. Dominicus Soto, Dominicus Bannes de iuſt. & iur. lib. 1. poſt. Diu. Thomam par.2.

No.3. Non poteſt liberare Bannitum, aut contumacem,qui prætendit ſe à Banno liberatum ob occiſionem alterius banniti, aut eum audire, niſi ſe conſtituerit in carcere Conſt.Pij V. Et ſi cuncta.

No.4. Quando princeps tollit omnes exceptiones, intelligi debet ad ſummum de moratorijs, & dilatorijs, non autem peremptorijs, quas quia ſunt maioris præiudicij, non de facili tollere intelligitur, Abb.de off. & pot. leg.c.ex parte n.4.

No.5. Poteſt cum ſimili, vel limitata poteſtate alijs demandare,vt procedant. Hæc omnia dicta continentur in litteris legationis.

PARA-

PARAGRAPHVS III.

De Authoritate Legati de latere in auocandis cauſis.

No. 1. VIrtute lrtterarum Legationis poteſt Legatus quaſlibet cauſas ciuiles,& criminales à quibuſcunq; iudicibus Ordinarijs, & delegatis etiam exemptionem habentibus, auocare. Per auocationem factam per Legatum ligantur manus iudicis inferioris, adeo, vt nihil valide in eadem cauſa attentare poſſit No. in cap. Vt noſtrum. de appell. Plus eſt auocare aliquod negotium, vel cauſam ad ſe, quàm appellare; Vnde ſicut poſt appellationem legitimam nihil eſt innouandum, multo minus, poſt auocationem Glo. in d.cap. In reſcripto Legati auocantis debet fieri mentio de cauſa pendente coram alio iudice, aliàs auocatio eſt nulla cap. in litteris. de off.leg.per Doctores. Non poteſt auocare cauſas incæptas coram Ordinario cap.Romana.de foro compet. in ſex. & ibi Glo. Poteſt tamen de eis cognoſcere,ſi ad eum deuoluantur per querelam, ſeù appellationem. Non dicitur auocare cauſam aliquam ex eo, quod incipit de ea cognoſcere,quia hoc aut nequit, aut ſoli Papæ conuenit. Abb. in cap.cum m.de Conſtit.n.33.

Sed quid ſi alter iudex non admonitus procedat, & proferat ſententiam, & ſimiliter Legatus?

Reſp. quod parte non excipiente, vtraque valebit.

Sed quid ſi dictæ ſententiæ inter ſe ſint contrariæ?

Reſp. Quod valebit ſecunda, dummodo prior non tranſierit in rem iudicatam ante huius probationem per Abb. vbi ſupra,& no. Zacchar. citantis Innocentium.

No. 2. Legatus in pluribus prouincijs poteſt committere cauſas vnius cognoſcendas in alia, ſaluis tamen iuribus

ribũs de duabus, vel tribus dictis cap. Nouit. De off. leg. Poteſt committere cauſas prophanas laicis, & præcipuè cauſas ſanguinis 11.q.p. Te quidem, cap.ſententiam; Ne. Cler.vel Monach.Cauſas ſpirituales non poteſt committere, niſi Dignioribus perſonis perſonatum, vel Canonicatum obtinentibus cap. ſtatutum.de reſcript.

Obijcitur. Epiſcopus poteſt huiuſmodi cauſas committere ſimplici Clerico iuxta Doctores in d.c.ergo Legatus

Reſp. Iuxta Glo.in cap.Sedis Apoſtolicæ, eo tit. quod ideò Ordinarij id poſſunt, non quia habeant maiorem poteſtatem, ſed quia habent maiorem cognitionem, & contingit, quod ſimplex Clericus ſit Doctor Decretorũ. Rurſus non eſt ita abſurdum, vt perſona rudis gerat vicem Epiſcopi, ſicut Legati.

Demum dicitur, quod prohibitio illa facta Legato intelligi debet regulariter, ſecus in caſu neceſſitatis, & concurrente plena notitia, & prudentia.

No.3. Poteſt Legatus committere cauſas de plano, ſummariè, &c. Nam in principio litterarum Legationis ei datur facultas procedendi quoad ſibi conceſſa per ſe, vel per alium, & cap. quoniam.de off.Legati §.Cæterum. Soli Legati Apoſtolicæ Sedis habent, vt omnia eis commiſſa poſſit alij demandare; & ideo ceſſat ratio dubitandi Abb.in cap.ſicut Romana.de reſcript.qui loquitur regulariter, vt ipſemet fatetur, modo datur expreſſa facultas Legato in litteris. Per hoc aufertur ius Tertius, tum quia hoc non conſiiſtit in ſolemnitatibus, aut ex eis pendet; tum quia id facit authoritate principis, qui quantum ad hoc poteſt auferre ius tale. Non poteſt committere cauſas Canonico minori viginti annis per Glo.in c.ſtatutum De reſcript. in ſex. & in c.cum vigeſimum.

No. 4. Legatus non poteſt ſupplere defectum iuris commiſſum in contractibus, vel iudicijs Abb.in c. p. de

tranſact. hoc eſt enim ſollus Papæ. Non admittit ſupplicationem contra propriam ſententiã, Abb. in c.ex litteris de reſtitut.in integrum, cũ per ſupplicationẽ retractetur ſententia, & præiudicetur iuri alterius, quod nequit facere inferior Principe l.2.& 3.C.sẽt.reſcind.& in l.moris ff.de pœnis Poteſt tamen concedere reſtitutionẽ in integrum contra propriem ſententiam minori, vel ex maiori cauſa. Innoc. in c.Romana. de appell. Poteſt ad effectum ſuæ iuriſdictionis exercẽdæ apponere pœnam interdicti Eccleſiaſtici, & inuocare brachium auxilij ſecularis ad formam Concilij Viennenſis. Ita in litteris legationis.

PARAGRAPHVS IV.

De authoritate Legati de latere circa appellaeiones.

No. 1. A Quocumq; Iudice ordinario, ſeù delegato poteſt appellari ad Legatum. vltra plnres tex. habetur in litteris legationis, etiam ſi ſint iudices à Sede Apoſtolica delegati per eaſdem litteras, Ferrar. Per appellationem ligantur manus iudicis inferioris, cap. vt noſtrum.de app.& ibi Glo.& No.& Doctores. Iudex inferior non deferẽs appellationi punitur, aut per depoſitionem ab officio ſecundũ rigoiẽ iuris 2.q.6.Decreto & c.de priore extr.de app.vel alia pęna iuxta qualitatẽ perſonæ, & prudentiã Principis. Et Legatus reuocat in priſtinum omnia attentata iudicis à quo extr.de iur.iur.c.venientes.

Quæritur. An ad Legatum poſſit appellari, omiſſis medijs; Nam hoc videtur conuenire ſoli Papę non recognoſcenti ſuperiorem in temporalibus, per Glo.2.q.6.Decreto, & 11.q.1.Referens. Verum oppoſitum docet D. Io. de Turrecrem.2.q.6.ſi quis veſtrum, & probat per c.cum non ignoretis.extr.de off.leg.& citat Goffr. Hoſtien.extr. de app.in c.Romana in ſex. Glo.ib. Archid.in d.c. Si quis

ve-

veſtrum, Io. Andr.c.quod tranſlationem. ſuper mag. glo.

*No.*2. A ſententia Legati miſſi, vel nati non appellatur ad Legatum de latere, quia quoad eſſentialia non eſt maior. Non ſe intromitti de appellatione facta ad Papam, quia eſt abſurdum per Glo.in c.ſtatuta de Hæret. in ſex. 21.di.inferior,Glo.in c.cum parati. de app. & in c, cupientes.de elect.in ſex.Poteſt tamen compellere iudicem A quo ad deferendum appellationi legitimæ,quia hoc non eſt authoritatiuè cognoſcere,ſed miniſterialiter tueri ius Principis. In appellatione ad Sedem Apoſtolicam non ſufficit audire Legatum, niſi fortè partes concordarent renunciando, & de earum conſenſu, Glo.in d.c.cupientes.de elect.in ſex.& c.cõſtitutus.de app.Tranſlato per Legatum negotio ad D.Papam, & facta relatione, non poteſt ipſe amplius de eo cognoſcere,neq;etiam conſentientibus partibus per Glo. in c. Licet. de off. leg. Nec amplius poteſt examinare, vt cauſam magis inſtructam mittat ad D.Papam per Glo. eodem cap.

No.3. Legatus ex iuxta cauſa poteſt recuſari per Glo. in cap.Valde 49. di.& citat cap.licet de off. leg. & quia cuilibet reſeruantur legitimæ exceptiones De off.deleg. ex parte. Si vero antequam proponatur recuſatio cauſam in totum commiſerit, recuſari vlterius non poterit, cap. Si iudex de off. Deleg. nec poterit impugnari per eum facta commiſſio. Non poteſt committere cauſas appellatione remota,quia id eſt ſolius Papæ, vel ſupremi Principis Abb.in c.ſicut Romana, de reſcript. ſpecul. in titul. Deleg.§. Nunc oſtendendum ver. 14.Nec procedit in Legato. Decius eodem cap.n.8.Si habet Specialem facultatem cognoſcendi cauſas appellatione remota,non remouetur appellatio ex vera cauſa, ſed friuola, quia appellationem legitimam nec Princeps poteſt remouere, vt latè probat Syluester eo tit. q.p. pluribus text. &

rationibus. In dubio, an appellatio ſit legitima, & ex vera cauſa, debet ipſe definire, ſed caueat, ne alteri præiudicet in bonis, & ſibi ipſi in conſcientia. Hinc ſequitur, quod a Legato ipſo de latere poteſt appellari iuxta Glo. in c. cuncta 2. q. 3. & allegat c. vltimum de ſent. & re iudic. & extr. de off. leg. cap. licet Hoc enim conuenit ſoli Papæ, qui Superiorem non habet, vt extra de elect. licet; & ſi ab eo appellatur ad Papam, debet humiliter appellationi deferre, vt extra de re iudicata, cum cauſa, & ſpecul. §. ſupereſt. verb. Illud autem.

LIBER

Digitized by Google

LIBER QVARTVS

De auctoritate Domini Legati de latere in ordine ad leges.

PARAGRAPHVS I.

De auctoritate D. Legati in congregandis Concilijs.

No. 1. LEGATVS de latere non poteſt conuocare Concilium generale abſque ſpeciali mandato D. Papæ 17. di. cap. p. & 2. D. Thomas 22. q. p. ar. 10. D. Cardinalis de Turrecrem. eadem di. & D. Cardinalis Caietanus 22. ibi, & opuſc. de authoritate Papæ, & Concilij, & Doctores. Concilia celebrata, abſque authoritate Papæ non ſunt Concilia, ſed Conciliabula, & nullius authoritatis 17. di. c. multis D. Io. de Turre crem. de poteſt. Papæ, & Card. Caiet. Vbi ſupra. An poſſit Legatus congregare Concilium prouinciale, diſſident Doctores, Glo. 43. di. Regula dicta ait, quod non poteſt cogere Archiepiſcopos, & Epiſcopos ad conueniendum, & ſecundum D. Io. de Turrecrem. In 3. d. cap. p. poteſt congregare Epiſcopos ad conſulendum, vel deliberandum aliqua, & cum ipſis poteſt condere nouos canones prouinciales de paruis, & de his, quæ ſpectant ad onus, ſicut de abſtinentijs, orationibus, & huiuſmodi; De magnis autem conſulere debet D. Papam 17. di. c. multis, & c. Concilia. Nec de his quæ ſpectant ad honorem 8. q. p. In ſcriptis, & c. quia Epiſcopatum. Huiuſmodi Canones non adſtringerent omnes, & ſi D. Papa eos approbauerit, non fiunt ge-

Digitized by Google

generales quia conformatio nihil de nouo conferre ſolet.

No.2 An negligente Epiſcopo, aut Archiepiſcopo,& negotio Eccleſiaſtico vrgente poſſit Legatus conuocare Concilium prouinciale, vel Diocæſanum; Dicerem, quod ſic; Nam in tali caſu non diceretur turbare iuriſdictionem, ſed iuuare in fauorem Eccleſiæ, & neceſſitas facit facultatem, licet non trahat in conſequentiam, aut conſequentia ex ea trahatur. De reg. iur. in ſex. & in hoc ſenſu cenſerem intelligendum dictum Specul. li. p. particul. p. c. ſupereſt videre §. ſed numquid Legatus; ea tantum ratione motus, quia Legatus S.R.E. non eſt inferior Epiſcopis, aut etiam Archiepiſcopis; Nam in rei veritate iſti faciunt iure proprio ſua concilia prouincialia, & particularia 16. di. c. p. & 92 di. Si quis Epiſcopus; ſed hæc ratio non ſufficit, quia non habet cogere Epiſcopos ſicut hi ſuos ſubditos, & quod permittitur fortaſſe ei in caſu, non eſt extendendum, quia licet ſit Ordinarius; non tamen Epiſcopalem poteſt in omnibus exercere, & confirmatur 3. q. 5. quamuis, & c. multum.

PARAGRAPHVS II.

De authoritaie Legati de latere in condendis ſtatutis.

No. 1. Sententia communis eſt, poſſe Legatum facere ſtatuta ad componendos mores, & vitia corrigenda, & circa quælibet ad eius iuriſdictionem ſpectantia cap. Nemini. De off. leg. extr. eo tit. c. fin. & c. ex reſcript. de Locat. & conduct. & per D. Io. de Turrecrem. in c. lex eſt 2. di. Sylueſt. verb. lex. q. 4. Irrequiſitis Prælatis, & ſubditis ſuæ prouinciæ poteſt conſtitutiones edere de pertinentibus ad iuriſdictionem ſuam Innoc. in d. c. Nemini

Nemini. Poteſt condere ſtatuta contraria Statutis aliorum Legatorum, quia par pari prohibere non poteſt cap. inferior 21. di. & c. cum inferior. de maior. & obed.

Quæritur. An poſſit Legatus condere ſtatuta contra ius commune. Innoc. cap. *Vt ſingulæ.* de off. Archipreſbyt. tenet, quod ſic. Sed verior ſententia eſt, ipſum non poſſe ſtatuere contra ius, licet poſſit diſpenſare, quia illud potentius eſt, vt poſt Ant. in Glo. fin. Clem. de reſcript. aſſerit Decius c. 2. lect. Rub. de Conſi. n. 23. Certum eſt, quod iuri communi poteſt addere pænas, vt plus timeatur Gamb. lib. 8. n. 15. Si ſtatuta Legati edita fuerint cum anathemate, contrafacientes ſunt excommunicati cap. p. de maior. & obed. Glo. in cap. Nemini de off. leg. ſtatuta per eum facta perpetuò durant, (dummodo non reuocentur) etiam finita legatione, c. vlt. de off. leg. Innoc in c. cum aceeſſiſſet de Conſtitu. Cherub. ſchol. 2. in Conſt. 16. Pauli Tertij. Si verò faciat ſtatutum ſub conditione, imponendo certam pœuam abſque cauſæ cognitione, durat tantummodo tale ſtatutum tempore ſuæ legationis. Innoc. in c. quod tranſlationem. de off. leg. Sententia Legati non facit ius, neq; trahi poteſt ad conſequentiam. cap. in cauſis. de re iud.

No. 3. Conſtitutiones Legati in Prouincia editæ, & confirmatæ à D. Papa non veniunt ſeruandæ in cauſis, litibuſq; Eccleſiaſticis per plures deciſ. Rotæ apud Cherub. Schol. p. ad Conſt. 15. Sixti 4. incip. & ſi de cunctorum. Neque in terris immediatè ſubiectis Romanæ Eccleſiæ Rota deciſ. 182. & 187 lib. 3. p. 3. Diuerſorum. Statutis Legati non ligantur ſubditi delinquentes extra prouinciam cap. 2. de Conſt. in ſex. Non poteſt condere ſtatuta, quibus ius vnius detur alteri, quia hoc eſt ſpeciale in Papa propter Omnipotentiam, c. cunctas, & c. principalem, nona quæſt. 3.

No. 4.

Digitized by Google

No.4. Non poteſt condere Statuta contraria Decretis Conciliorum Cap. Prudentiam de off. deleg. quia Conſtitutiones Conciliorum multorum conſilio ſunt editæ Glo.in c.Dilectus de præb. Abb.in c.quod tranſlationem de off.leg. Vnde non debet eis de facili derogari.

PARAGRAPHVS III.

De authoritate Legati de latere in interpratandis legibus.

No. 1. PRæmittendum eſt quatuor eſſe legis interpretationis ſpecies, quas recenſet Abb.cap.p. de portul.præl.n.19. Quædam eſt interpretatio legis facta à Principe, & eſt generalis, neceſſaria, & in ſcriptis redigenda; Generalis, quia omnes compræhendit, neceſſaria, quia tenemur eam ſequi; in ſcriptis redigēda, vt vim legis ſortiatur iuxta quod dicitur 2. inſtit. de iur. nat. §. Quod Principi, ſcilicet, quod Principi placuit, legis habet vigorem. Alia interpretationis ſpecies eſt, quæ fit per conſuetudinem, eſt enim hæc optima legum interpres in c. cum dilectus. de conſuetud. & eſt generalis, & neceſſaria modo iam dicto, non tamen ſcripta. Tertia ſpecies interpretationis eſt, quæ fit per Iudicem, Iudex enim poteſt interpretari leges, quoad cauſas ab eo iudicandas No.Innoc.in c. ſpeciali. de app. & hæc non eſt generalis nec alij iudices tenētur iudicare ſecundū, quod iudicauit iſte, quoniam non exemplis, ſed legibus iudicandum eſt vt in l.nemo C.deſeru. eſt tamen neceſſaria, quia partes tenentur eam ſequi, & tranſit in rem iudicatam, niſi appelletur, vt in c. quod conſultationem. de re iud. & eſt in ſcriptis redigenda reſpectu ſententiæ diffinitiuæ, vt cap.fin.de re iud. quia ſpecies interpretationis fit per Magiſtrum

giſtrum, vel Doctorem, quæ non eſt generalis, nec neceſſaria, nec in ſcriptis redigenda, ſaltim de neceſſitate; Ei enim non ſtatur, niſi quatenus probatur lege, & ratione: Habet tamen communis opinio Magiſtrorum, quod quis eam ſequens in iudicando, vel extra iudicium non incurrit pænam legis, quia communis opinio Doctorum inducit probabilem errorem. Hæc ex Abb. recitata approbat D. Cardinalis Io. de Turrecrem, in c. non licuit. 17. di. In præſenti omiſſa ſecunda interpretationis ſpecie, vtpotè non faciente ad propoſitum, & quarta, vt certa pro affirmatiua, de duabus alijs ſpeciebus ſermo erit; pro quo dicendum.

No. 2. Durante legatione, Legatus prima ſpecie interpretationis interpretatur ſtatuta ſua. cap. inter alia. de ſent. excõm. & c. ex parte de verb. ſignif. & Bartol in l. ab executore ff. de app. & ratio conuincit, quia eius eſt interpretari, cuius eſt condere. finita legatione, interpretatio eorum ſpectat ad Papam, etiam dicto Legato viuente, à quo tamen poteſt petere ſenſum, & mentem eius. Glo. in c. ex parte de verb. ſignif. quia licet Legatus ſit idem in perſona; non eſt tamen idem quoad dignitatem, & authoritatem, & iuriſdictionem, quia hæc expirat. Non poteſt interpretari ius Diuinum, aut naturale, id enim eſt ſolius Papæ in his, quæ admittunt interpretationem. Neque ius Canonicum, aut ciuile in concernentibus Clericos, cap. p. de iur. calum. & hoc generaliter loquendo 11. q. 2. c. ſicut, vbi traditur ratio; Ille ſolus habet ius interpretandi canones, qui & habet ius condendi, & ille ſolus legum ciuilium eſt interpres, qui eis ius, & authoritatem impertitur, & 25. q. p. ſunt quidem. Poteſt tamen interpretari vtrumque ius quoad certam cauſam etiam tangentem Clericum; Innoc. in c. cum ſpeciali, de app. Glo. in c. p. de poſtul. præl. Non poteſt interpretari reſcri-

pta, aut priuilegia D. Papæ, niſi quando dubitaretur de ſurreptione, & in caſu facili, & deciſibili, ſecus in arduis: c. Inter alia de ſent. excomm. ſed ſolius eſt principis, Sylueſter verb. Interpretatio q. ſpecul. tit. Legatus §. Nunc oſtendendum verſ. 4. Decius in c. ſanè de off. Deleg. n. 3. Si quando autem videris interpretantem mandatum Papæ, dic, quod hoc facit, aut ex plenitudine Legationis, aut magis ex ſpeciali permiſſione Papæ, aut ſine ea, ſed interpretatione ratificanda à Papa, Abb. c. Ad hæc de poſtul. præl. Non poteſt interpretari conſtitutiones Conciliorum, nam id reſeruatur Papę c. Nec licuit. 17. di. & modo id ſpectat ad Congregationem DD. Cardinalium per conſt. 74. Sixti V. ad hoc deputatorum Cherub. Shol. in conſt. 73. Pij IV. Modus interpretandi leges, reſcripta, Canones, priuilegia, ſtatuta, diſpoſitiones fauorabiles, vel odioſas, accipitur à conſueto modo interpretandi, vel à ſimilibus, vel à iuribus ſcriptis Syluester verb. interpretatio. referens Io. Baptiſtam de Fliſco, hic eſt Innocentius Quartus. Sed vbi caſus ſimilis haberet legem ſpecialem in contrarium, non debet fieri extentio, quia non debet induci legum correctio ex ſimilitudine rationis. Abb in cap. Tranſlato, de Conſtit. vbi plura addit ſpectantia ad hanc materiam.

PARAGRAPHVS IV.

De Virtute litterarum D. Legati de latere.

No. 1. Litteræ D. Legati ſigillo munitæ faciunt fidem, eiſque creditur tanquam publico inſtrumento Glo. in cap. poſt certiorem. de probat. Hoc eſt verum, etiam ſi non habeant teſtium ſubſcriptionem, propter eminentiam dignitatis: Si in litteris Legati appo-

ponerετur ſigillum,quo vti ſolet in litteris non legationis, tale ſigillũ non faceret ſcripturam authenticam ſecundũ Gambar. poſt Hoſtien.& ſpecul. Si autem in dictis litteris exprimeretur cauſa,quare non ſit appoſitum ſigillum legationis, ſcriptura eſt authentica poſſet tamen per Iudices inferiores, vel alios,ad quos ſpectat, examinari, & præcipuè ſi dubitaretur de vitio ſurreptionis.

No.21 Litteræ illæ præualent,quæ ſunt prius datæ,vbi agitur de materia formali, vt in c.Tibi qui, de reſcript.& in c.eum cui, de præb.in ſexto. Quando poſſit dubitari deciſio ſurreptionis docet Abb. in cap. ex parte. de reſcript.ſed inter cætera.ideſt,quando clauſula omnis,quę poſſet mouere Principem ad non reſcriptum,non ſit expoſita in petitione. Surreptio, aut falſitas citius præſumenda eſt in litteris gratiæ, quàm concernentibus iuſtitiam cap.p.de falſarijs, Abb. in cap. Ad audientiam, de reſcript.

PARAGRAPHVS VNICVS.

De authoritate Legati de latere, quoad conceſſionem Indulgentiarum.

SVPPOSITA Indulgentiarum Catholica veritate, quidditate, & effectibus.

No. 1. Legatus etiam non Sacerdos poteſt concedere indulgentias, quia eas dare, eſt iuriſdictionis, quam Diaconi, & alij non Sacerdotes poſſunt habere, vel commiſſam, vel ordinariam, ſicut & electi in Epiſcopos non dum Sacerdotes, cap. Tranſmiſſa. de elect. D.Th.4.ſent. di.2.D.Io.de Turrecrem. de pæn.di.p. & ſuper leuiticum q.5.concl.p.& io. Ex vi litterarum legationis poteſt concedere indulgentias centum dierum, & plurium quibuſcumque fidelibus ad pia opera exercenda. Poteſt concedere indulgentiam vnius anni in dedicatione Eccleſiæ, quia, & id poteſt Epiſcopus, vt cap.cum eo, de pen. & rem. & per D. Ioann. de Turrecrem. Item pro conſtructione nouæ Eccleſiæ, aut pontis, pro tranſitu peregrinorum, & pauperum; hæ enim recenſentur inter veras cauſas concedendi indulgentias, vt d. cap. cum eo. ſunt namque exteriora, quæ ordinantur ad ſpiritualia, vt per D.Io.de Terrecrem ib. q. 3. Talem indulgentiam ſemel tantùm poteſt concedere ex ſpeciali indulto ſolito dari Legatis de latere. Si tamen pro duobus diebus feſtis concedatur, durat per triennium. Huiuſmodi indulgentias accipere poſſunt declinantes ad loca, quibus conceduntur, ſicut & cæteræ abſolutiones, vt dice-

tur,

tur, ampliorem enim Epiſcopo iuriſdictionem obtinet D.Io.de Turrecrem. eo.cap.q.6.concl.6.& cap. quod autem.de pæn. & rem. Si vnus Legatus conceſſit quadraginta dies indulgentiæ alicui Eccleſiæ, & ſucceſſor totidem, non valet vtraque ſecundum Gemin. cap. fin. de pen.& rem.in ſex; ne per talem multiplicationem veniretur contra Decretum Concil. vienn. cap. cum ex eo, eodem tit. Si Legatus concedendo indulgentias excedit limites ſuæ facultatis, valent quoad id, quod poteſt dare, quia vtile per inutile non vitiatur de reg. iur. in ſex. & quia in liberalitatibus, & donationibus, eſt dicendum, quod tenent pro parte ſcilicet, vſque ad legitimum modum 12.q. 2. Si quis. Item quia agitur de tempore ſepabili c.Indulgentiæ. de pœn. & rem, & Abb. d. c.cum ex eo. Indulgentiæ datæ à Legato valent etiam exemptis ſiue ſecularibus, ſiue regularibus, & hoc non ſolùm de licentia ſuorum Superiorum, ſed iure communi, quia iuxta D.Petrum de Palud. in 4.ſent.di. 2. quoad hoc non videtur exemptio, quia noluerant impetrare id, quod eſſet malum ſuum, D. Io. de Turrecrem. vbi ſupra q. 7. concl.7. Rurſus, & exemptio non intelligitur à Legato. Indulgentię conceſſę à Legato durant poſt obitum ipſius Innoc. in cap. quoad tranſlationem de off.leg. Syluester verb.Indulgentia, & ibi ſummiſtæ.

LIBER

LIBER SEXTVS

De authoritate Legati de latere, quoad ius diſpenſandi.

PARAGRAPHVS I.

De facultate Legati de latere, quoad diſpenſationes in communi.

No. 1. Legatus de latere diſpenſat in omnibus, in quibus diſpenſant Epiſcopi, & Archiepiſcopi, & in extr.Io.22. ſuper gentes, dicitur, quod ſupplet vices Papæ, & Specul.li.p.part.p.S. conſequenter, Et in generali facultate recipit poteſtatem diſpenſandi in omnibus ſupradictis, & in alijs non reſeruatis Papæ cap. 2. de off.leg.in ſex;no.Spec.tit.de diſpenſat. §. ſequitur, Albericus de roſ. eo tit. indict. Legatus virtute generalis mandati diſpenſat contra ius,niſi in expreſsè prohibitis, quia in generali mãdato diſpenſatio delegatur.Glo. in cap. Si Abbas.de elect. in ſex. & in d. extrau. ſuper gentes, ſpecul. tit. de diſpenſat. §. Conſequenter, verſ. generaliter. Quandocumque conceditur Legato facultas diſpẽſandi,conceditur etiam ad famam ſecundum communiorem ſententiam ſaltim diſpenſatione præmiſſa,vel in conſequenter per D. Ioann. deTurrecrem.50. di. Vt conſtitueretur. num. 9. Facultas conceſſa, vt poſſit diſpenſare, ſemper intelligitur, vt id faciat cum cauſa, aliter enim nulla eſſet diſpenſatio D.Tho. 22.q.88.a.4. & quæſt.97. Diſpenſatio in omni alio à principe requirit cauſæ cognitionem, Glo. in c. ad monaſteriorum.Syluester verb.diſpenſatio. Non eſt neceſſarius proceſſus,aut

ſen-

Digitized by Google

ſententia, vt ſentit Gambar. li. 7. n. 113. ſed ſufficit moralis certioratio ſuperioris diſpenſantis. Obtinens à Legato diſpenſationem ſine legitima cauſa, non eſt tutus quoad Deum, neq; quoad Eccleſiam, Innoc. in d. cap. cum ad monaſterium. Panorm. in c. non eſt voti. De voto. Cauſa diſpenſandi, eſt quadruplex, ſcilicet, Neceſſitas, vtilitas, congruitas, & honeſtas D. Io. de Turrecrem. in 32. q. Dicit Sara, ex D. Bonauentura. Facultas diſpenſandi data, non expreſſis perſonis diſpenſandis, tanquam beneficium Principis eſt latè interpretanda Glo. in c. vlt. de Simonia; quando vero exprimuntur perſonæ eſt ſtricti iuris, & ſtricte interpretanda, cap. p. & 2. de fil. presb. in ſex. Sylueſter verb. diſpenſatio n. 9. Licet diſpenſatio ſit ſtricti iuris, & contra ius, & ſtrictè interpretanda, nihilominus extenditur ad conſequentia, & dependentia ex eo, ſuper quo eſt diſpenſatum, quando aliter non imprimeret in eo actum validum, Panorm. in cap. quia tantum. de præb. & c. Siquis in clero 7. q. p. v. g. diſpenſatus ſuper pluralitate beneficiorum eſt quoque diſpenſatus ſuper reſidentia Syluefter verb. diſpenſatio q. 9.

No. 2. Legatus habens facultatem illimitatam diſpenſandi poteſt diſpenſare in omnibus non reſeruatis Papæ cum expreſſione, niſi de eis fiat ſpecialis mentio; quia ex eo, quod conditor Canonis abſolutionem ſibi ſpecialiter non reſeruauit, conceſſiſſe videtur alijs facultatem relaxandi. Bartolom. Brix. in ſua Glo. cap. quæ de cauſa 2. quæſt. 8. Paulus Burgaſius de irregul. p. 2. de delegatione diſpenſationis n. 4. Poteſt Legatus accipere annatas, & compoſitiones pro diſpenſationibus, ſicut Papa, ratione in cap. Si propter de reſcript. in ſex. Concedimus, adducta. Habens facultatem diſpenſandi contra Canonem aliquem non tenetur in litteris diſpenſationis apponere particulam derogatoriam eiuſdem

dem Canonis per Abb. de offic. leg. cap. Nemin. Legatus, aſſumendo aliquem ad aliquod officium ad quod habet impedimentum ei natum, & habet rationabilem cauſam diſpenſandi, videtur diſpenſare cum eo, vt ſi mandat ordinari aliquem, quem ſcit eſſe irregularem, ſufficit intentio diſpenſandi, licet non exprimat verbum, *Diſpenſo*, vel aliud æquiualens, quia facto diſpenſat; Neq;neceſſe eſt,vt conſtet per litteras de ſcientia indignitatis, niſi in foro animæ,non vero in foro cauſarum.Sylueſter verb.Diſpenſatio q.21.per totum.

PARAGRAPHVS II.

De Authoritate Legati diſpenſandi in pluralitate beneficiorum.

No.1. POteſt Legatus de latere diſpenſare in pluralitate beneficiorum ſimplicium Glo.70.di.cap. Sanctorum. nec beneficium huius Canonis ſublatum eſt Legatis de latere per cap.De multa.de præb. vbi dicitur, quod per ſedem Apoſtolicam diſpenſari poſſit, per hoc enim non aufertur diſpenſatio probabilis, ſed vaga, & indirecta, ſicut per remotionem appellationis non remouetur neceſſaria appellatio,extr. de app. Paſtoralis,& per prohibitionem iurandi non prohibetur iuramentum neceſſarium, ſed temerarium 22.q.p. c. Ita; Et cum prohibetur vxorem ſeparari à viro, non prohibetur ſeparatio cum ratione,& cauſa 33.q.2. quos Deus.

No. 2. Diſpenſare ſuper pluralitate beneficiorum curatorum, eſt ſolius D. Papæ cap. de multa, De præb. Vbi Papa iu Concil.Lateran.hoc Sanctæ Sedi reſeruat,& Glo. ib. patet à contrario ſenſu, quod per alios non

poteſt

Digitized by Google

poteſt diſpenſari, & in extrau. Io. 22. Execrabilis, beneficia per incompatibilitatem vacantia reſeruantur Sedi Apoſtolicæ, etiam cum excluſione Legatorum, Glo. ib. Sylueſt. verb. Beneficium 4. q. 8. Addition. ad Concil. Trid. ſeſſ. 22. de reformat. c. 5. dum dicitur, quod ſuper reſidentia non diſpenſat Papa, niſi interpretatiue. Non poteſt Legatus diſpenſare, vt Epiſcopus habeat aliam dignitatem, ne turbetur ſtatus Eccleſiæ. D. Io. de Turrecrem. 89. di. ſingula. Dubitant Doctores, an in caſu ſaltim neceſſitatis poſſit Legatus diſpẽſare ſuper pluralitate beneficiorum, Gambar. lib. 5. tenet partẽ affirmatiuã; At oppoſita probabilior eſt, & eſt ratio, quia exigẽte neceſſitate reſeruatur Sedi Apoſtolicæ diſpenſatio, neque facienda eſt diſpenſatio ad libitum; Huic ſubſcribit Syluest. vbi ſupra, & in verb. caſus num. 2. caſu 21. Nec vrget ratio pro affirmatiua allegata, ſcilicet, quod nimis oneroſa eſſet Eccleſijs hæc ſententia; Nam potius eſt fauorabilis Eccleſiæ in odium ambitionis, & auaritiæ, nec auſertur per eam debitum Eccleſijs, quandoquidem poſſet à Legato prouideri, non per modum tituli, & per modum commendæ ad tempus, &c. cap. Nemo. Adducitur tamen deciſio Rotæ 287. in nouis, incip. Legatus, qua dicitur, quod Legatus reportat ſpeciale indultum Sedis Apoſtolicę ſuper diſpenſatione beneficiorum incompatibilium, cuius deciſionis meminit Paulus Burgaſius de irregul. p. 3. de diſpenſatione Legatorum num. 5.

PARAGRAPHVS III.

De Authoritate Legati à latere diſpenſandi cum illegitimis.

No. 1. IN litteris DD. Legatorum habentur infraſcripta. Legatus poteſt diſpenſare in defectibus natalium cuiuſuis procreati ex adulterio, inceſtu, vel quocumque nefario, vel illicito coitu. Diſpenſati ſic per Legatum poſſunt obtinere quæcumq; & qualiacumque beneficia cum cura, & ſine cura, ſæcularia, vel regularia inuicem compatibilia, Canonicatus, præbendas, & dignitates. Si de nobili genere procreati fuerint, etiam ad maiores, & principales perſonatus, vel officia in Cathedralibus, Metropolitanis, & Collegiatis poſſunt aſſumi. Etiam in Eccleſijs, in quibus dictorum illegitimorum Patres beneficia obtinuerint, dummodo non ſimul miniſtrent in Altaris miniſterio. Poſſunt retinere beneficia Patrum ſuorum, dummodo ipſis non immediatè ſuccedant. Poteſt concedere, vt de natalium defectibus nullam in quibuſcunque litteris, & gratijs ſibi concedendis mentionem facere teneantur; Hæc in litteris facultatum. Ideo quæ adducit Paulus Burgaſius de irregul. p. 3. de diſpenſat. n. 3. intelligi debent de iure communi, aut de alijs Legatis non de latere.

No. 2. Illegitimos prohibent iura obtinere beneficia, dignitates &c. quia timetur in eis incontinentia Patrum 1. q. 1. ſi gens, & 6. q. 1. quiſquis. Sed licet aliquid prohibeatur à iure, non prohibetur diſpenſatio circa illud ius. No. in cap. Innotuit de elect. tanto tamen difficilior eſt eorũ diſpenſatio, quãto turpior eſt origo, ſecundũ D. Tho. in 4. ſent. Legatus de iure antiquo non habet tã amplam facultatem diſpenſandi; ſed ſolum poſſet diſpenſare cum

ille-

Digitized by Google

illegitimo in ſuſceptione ordinum minorum, & ad obtinenda beneficia ſimplicia, ſecundum Doctores. cap. per venerabilem, qui fil. ſint legit, & 56. d. Presbyterorum, & ibi per D. Io. de Turrecrem. n. 7. Legatus habens facultatem diſpenſandi non debet denegare diſpenſationem illegitimis, ſi ſint honeſtæ vitæ 56. d. Dominus noſter, & cap. Gens Anglorum. Nam vt dicitur cap. per litteras de fil. presb. illegitimi reijciuntur ob metum incontinentiæ Patrum in eis; & ideo, hoc metu ceſſante, poteſt cum eis diſpenſari, immo & debetur diſpenſatio & cum hac Gloſſ. intelligunt Doctores d. cap. per venerabilem. Vnde ſi Legatus, vel alius negat diſpenſationem, vbi patet iuſta diſpenſandi cauſa, & ratio, peccat 50. d. Conſtitutus, 2. q. 5. c. quanto, & ſecundum Glo. ib. intelligitur in caſu, quo illegitimus deberet admitti. Non tamen poſſet peti diſpenſatio iure actionis, ſicut dicitur de eleemoſyna pauperi debita 46. d. cap. ſicut, quę tamen paritas non valet in totum: & ſuppoſito, quod Eccleſiæ non adſit neceſſitas, & illegitimus habeat prærogatiuam meritorum, adhuc poterit cum eo Legatus diſpenſare. cap. innotuit de elect.

Non poteſt ex mera voluntate, & arbitrio diſpēſare, & ſi facit, peccat; tenet tamen diſpenſatio; quia non habemus legem irritantem, niſi in facto ſit repugnantia. Non poteſt diſpenſare cum illegitimo ad hoc vt Epiſcopus fiat. tum quia litteræ legationis loquuntur de dignitatibus in Eccleſijs Cathedralibus, non de ipſis Cathedralibus; & quamuis fauorabilis conceſſio, non tamen extendenda ad maiora. cap. Abbates de priuil. in ſex. Syluest. verb. caſus n. 44. Tum quia Cathedralis non venit nomine beneficij, niſi in certis caſibus, & quod dicit No. in cap. is qui de fil. presb. in ſex. poteſtatem ſcilicet, diſpenſandi eſſe late interpretandam, debet intel-

Digitized by Google

ligi non niſi quoad ſimilia, & reſtringitur in materia beneficiorum ſuper quam cadit. Sunt, qui negant etiã in Papa authoritatem diſpenſandi cum illegitimis ad Epiſcopatum: ſed non video qua ratione, cum nec ius diuinum, nec naturæ huic repugnet, & D. Papa ſuper ius poſitiuum habet pleniſſimam poteſtatem, immo & ſic diſpenſatum poſſe eligi in Papam, non debemus ambigere, cum factum habeamus 86. d. per Damaſum Papam cap. Oſius. Nec ſatisfacit (pace ipſius dixerim) Gratianus 56. diſt. cap. Cenomanenſe, dũ dicit tales promotos ad Papatum qui in d. cap. Oſius recenſentur, non fuiſſe procreatos ex illegitimo coniugio, quod olim licebat Sacerdotibus nũc autem tantummodo Orientalibus eſt permiſſum; Aduerſatur namque dictæ intelligentiæ textus capitum antecedentis, & conſequentis, qui loquuntur de procreatis ex coitu peccaminoſo, vt patet; & aduerſatur intentio, quæ eſt loqui de patientibus defectum natalium, quod equidem locum non habet in ijs, qui ante ſacerdotium procreati ſunt, vel a Sacerdotibus, qui contrahere poſſunt, tales n. poſtea ducta vcore tempore conceptionis, nullo interueniente impedimento, legitimi ſunt ex matrimonio ipſo; D. Io. de Turre crem. d. cap. Oſius. Hinc haud magni momenti eſſe comprehenditur, quod opponit Gambara lib. 7. n. 201. ſcilicet, quod Monachus debet viuere in clauſtro: quia iam ſermo eſt de religioſis, qui, tali debito non obſtante, ſunt capaces. Poteſt Legatus legitimare mulieres, vt ſint Abbatiſſæ gloſſ. in cap. indemnitatis de elect.

No. 3. Nòn poteſt legitimare in temporalibus, & quoad ſucceſſiones extra terras Eccleſiæ, etiamſi habeat pleniſſimam facultatem, quia ſecundũ probabilem ſententiam nec hoc videtur habere Papa. cap. per venerabilem. Qui filij ſint legit. Nec valet ab aliquibus

al-

Digitized by Google

illegata ratio in oppoſitum, quod ex eo quod legitimat in ſpiritualibus, legitimat in temporalibus per conſequẽtiam; nam non debet mittere falcem in meſſem alienam, & exercere iurisdictionem temporalem, vbi alij pleno, & alto imperio dominantur 6.q.3. ſcriptum eſt; Verum tamen eſt, quod eſt attendenda qualitas, & tenor diſpenſationis, cui legitimæ Imperator tenetur ſtare D.Io. à Turrecrem. 6.q.1. ſi quis. Non poteſt Legatus illegitimum iam electum diſpenſare ad effectum electionis conſequendum; poteſt tamen, ſi ſit tantummodo poſtulatus. cap. Innotuit de elect. per glo. & Doctores, forſaſſe quia in re libera nulli fit iniuria. Non poteſt in Prouincia condere ſtatutum diſpenſationum illegitimorum etiam ad ordines minores, & beneficia ſimplicia, quia nimis relaxaret habenas. Ita Doctores in cap. cum haberet, de eo qui duxit in matr. Clauſula appoſita in litteris diſpenſationis factæ per Legatum *ſine præiudicio filiorum legitimorum, & hæredum*, intelligitur, quod æqua lance ſuccedant, non autem in totum ab hæreditate excludantur, aliàs priuilegium nihil prodeſſet; cap. ſi Papa de priuil. in ſexto, Ludouic. Bolognin. in addit. conſil.229. Nullo vero modo legitimat ad bona relicta ſub fideicommiſſo pro legitimis, quia repugnat menti teſtatoris. Si legitimato ſpurio naſcuntur filij illegitimi, legitimatio non retractatur de reg. iur. in ſex. Factum legitime, 30. q. 1. Noſſe. & æquis portionibus ſuccedit cum legitimis. Hæc in litteris legationis.

Quæritur, an illegitimus celebrans ante diſpẽſationem incurrat nouam irregularitatem?

Quod non ex ſtilo curiæ Romanæ, quæ quando diſpenſat cum talibus, ſimpliciter diſpenſat ſuper defectu, & non ſuper irregularitate, quam contraxerit ex celebratione, c. Apoſtolica 56.d.& ib. D. Io. de Turrecr. n.3.

Quæ-

Queritur 2. an illegitimus ante diſpenſationem ordinatus ſuſcipiat ordinem.

Reſp. quod ſuſcipit, quia defectus nataliũ non impedit ordinis ſuſceptionem de facto, ſed de iure. D. Io. de Turrecrem. 56. di. Presbyterorum, & concurrunt alij.

Legatus, cui ſpecialiter indultum eſt, vt cum huiuſmodi irregularibus poſſit diſpenſare, non poterit cum ſcholaribus, & alienigenis intra illud tempus in prouincia degentibus diſpenſare, quoniam talis diſpenſatio ſtricte interpretanda eſt, & intelligenda ſolum de indigenis & ibi intitulatis &c. Specul. lib. 1. partic. 1. §. conſequenter.

PARAGRAPHVS IV.

De Auctoritate D. Legati de latere diſpenſandi circa Matrimonia.

No. 1. EX vi litterarum poteſt D. Legatus de latere diſpenſare in impedimento publicæ honeſtatis, vbi ſola ſponſalia interuenerint, & hoc non obſtante contraxerint; etiam ſi copulam carnalem habuerint, ac inde prolem ſuſceperint. Poteſt tales ab inceſtus reatu, & excommunicatione, alijſque cenſuris Eccleſiaſticis in forma Eccleſiæ, iniuncta pœnitentia ſalutari, abſoluere, dummodo mulieres raptæ non fuerint; Prolem inde ſuſceptam poteſt legitimam declarare. Hucuſque in litteris.

No. 2. Quantumcumque plena gaudeat facultate, non poteſt diſpenſare in impedimentis, quæ remouent conſenſum, cuiuſmodi ſunt error perſonæ, metus &c. quia in his nec D. Papa diſpenſat Sylueſter verb. Matrimonium 6. q. 5. & Summiſtæ. Non poteſt diſpenſare in im-

pedimentis, quæ ſunt iuris diuini, aut naturalis, quales a multis cenſetur conſanguinitas, aut affinitas vſque ad ſecundum gradum, quia neque hoc ſolet facere Papa; Syluester ibid. & verb. Papa num. 17. poſt D. Io. à Turre crem. 35. q. 2. coniunctiones, & cap. quædam lex. Non poteſt diſpēſare in impedimentis ſolo iure Pontificio dirimentibus, quia quæ iure ſunt inducta, nequeunt inferiores ordinariè diſpēſare 21. di. inferior, Clement. Ne Romani, de elect. Poteſt tamen in aliquo horum diſpenſare,, exigente cauſa, etiam ante contractum matrimonium, cum in inſtanti celebrandarum nuptiarum, deprehendatur ex confeſſione impedimentum dirimens, nec ſine graui infamia, aut ſuſpicione grauis delicti poſſunt nuptiæ differri. nam & hoc poteſt Epiſcopus, Bonacina verb. matrimonium §. cuius ſit diſpenſare n. 112. Poteſt in prædictis diſpenſare, quando impedimentum dirimens eſt occultum, & matrimonium publicum, nec ad Summum Pontificem ob paupertatem, aut locorum diſtantiam poteſt haberi recurſus, nec coniuges poſſunt ſine magno ſcandalo ſeparari; quia & id poteſt Epiſcopus, Bonacina vbi ſupra. Poteſt diſpenſare in omnibus impedimentis non dirimentibus, ſicut Epiſcopus, quia & ipſe eſt ordinarius in prouincia. Poteſt diſpenſare cū quibuſuis perſonis tertio, aut quarto ſimpliciter gradu; aut mixtim tertio, & quarto etiam multiplici conſaguineitatis, vel affinitatis gradibus inuicem coniunctis: ita in litteris facultatum. Item poteſt cum ijs, qui ſe adulterio polluiſſent, dummodo in mortem prædefuncti coniugis machinati non fuerint, vt inuicem matrimonialiter copulari, & in contractis per eos ſcienter, vel ignoranter matrimonijs remanere poſſint. Ita in eiſdem litteris. Inde non aduertiſſe creditur Sanchez, dum lib. 8. q. 6. de matrim. inquit, Legatum non habere maiorem

facultatem Epiſcopo in ſpe ſtantibus ad matrimonium. Copula præcedens non impedit Legatum, quominus diſpenſet iuxta facultatem ſibi conceſſam. Gambar. lib. 7. num. 409. Poteſt ſeparare matrimonia propter errorem conditionis, quia poteſt paſſim de omnibus cauſis Eccleſiaſticis cognoſcere, extra de coniug. ſeruo. c. fi. & Specul. lib. 1. particul. 1. §. ſupereſt videre.

PARAGRAPHVS V.

De auctoritate D. Legati diſpenſandi in votis.

No. 1. POteſt Legatus diſpenſare in votis, & ea commutare. Sylueſt. Tabien. & alij. Non tamen in voto perpetuæ continentiæ, abſque mandato ſpeciali. Neque in tribus votis peregrinationis Terræ Sanctæ, Apoſtolorum Petri & Pauli, & S. Iacobi Compoſtellæ, & ex conſuetudine reſeruatis, cap. ex multa de voto, & conſt. Sixti V. & ſi Dominici. Etiamſi prædicta vota non fiant in ſubſidium, ſed mera deuotione, Syluest. verb. votum n. 4 & 5. Poteſt tamen in omnibus dictis diſpenſare, imminente graui periculo, vel quando votum eſt factum per metum etiam leuem: item ſi eſt conditionale de futuro, nondum conditione impleta. Item quando votum caſtitatis eſt ad tempus, Syluest. ib. Bonacina de voto tom. 2. pag. 322. n. 15. Item quando poteſt diſpenſare in voto principali, cui tanquam acceſſorium eſt annexum votum religionis aut caſtitatis, nam principale trahit ſuum acceſſorium, de reg. iur. in ſex. vt ſi quis voueat ieiunium certis diebus, quod ſi non ieiunauerit, ſe ingreſſurum religionem, poteſt Legatus diſpenſare iuſta cauſa in ieiunio, & conſequenter diſpenſabit in voto religionis. Debet cognoſcere de cauſa diſpenſationis, quia ſine

Digitized by Google

ſine cauſa diſpenſans peccat, vt diſſipator, & diſpenſatio eſt nulla D.Thom. 22.q. 88. art. 10. Si tamen diſpenſet cauſa apparente, tenet diſpenſatio Sylueſt. num. 6. eo tit.8. In dubio de vera cauſa, ſtandum eſt iudicio ipſius.

Cauſæ præcipuæ diſpenſandi ſunt quatuor. Prima, ſi id quod cadit ſub voto eſt malum, vel ab initio tale fuit: ſecunda, ſi ſit inutile: tertia ſi ſit impeditiuum maioris boni: quarta, impoſſibilitas, vel magna incōmoditas. Primum autem horum non eget diſpenſatione; Altera harum cauſarum ſufficit, vt legitimè diſpenſet, & diſpenſatus ſit tutus coram Deo.

PARAGRAPHVS VI.

De authoritate Legati diſpenſandi in iuramentis.

No. 1. DVplex iuxta D.Tho. eſt iuramentum, quoddam aſſertorium, quoddam promiſſorium: aſſertorium eſt, quo iuratur de præterito, vel de præſenti ſic eſſe, vel non eſſe, 22.q.89. & cap. Si verò, de iur.iur. promiſſorium, quo quis iurat aliquid ſe facturum, vel non cap. cum contingat de iure iur. In iuramento aſſertorio nunquam diſpenſari poteſt, quia materia ipſius in neceſſitatem quandam tranſijt, & immutabilis facta eſt, vnde diſpenſare in tali iuramento eſt contra præceptum Diuinum. In iuramento promiſſorio poteſt quandoque diſpenſari, quia ipſius materia eſt aliquid futurum, quod vitiari poteſt, vt ſcilicet, in aliquo euentu ſit illicitum, & nociuum; vnde Legatus poteſt in eo diſpenſare, ſicut in voto. Syluester verb. Iuramentum 4. n. 3. Poteſt relaxare quodlibet iuramentum ad effectum agendi. Poteſt interpretari iuramentum in dubijs, an ſit licitum, non tamen in arduis, quia hoc ſpectat ad Papam. Sylueſter

Digitized by Google

verb.caſus q.2.§.12. excepto caſu imminentis periculi,& neceſſitatis. Hoc tamen intelligitur, dummodo non ſit de iuramentis reſeruatis Papæ, cuiuſmodi ſunt ſtatuta Collegiorum,Academiarum, &c. Non debet iuramenta relaxare abſque cauſa, alias peccat, etiamſi facultatem habeat ex vi litterarum, &c.

PARAGRAPHVS VII.

De authoritate Legati de latere in diſpenſando cum ſimoniacis.

No. 1. POteſt Legatus de latere diſpenſare cum ſimoniaco obtinente dignitatem ob pecuniã datam Epiſcopo, ipſo tamen promoto neſciente 1.q.5. cap.Præſentium.Poteſt cum illo diſpẽſare,ſiue in eodem beneficio, ſiue in alio,ibid. Poteſt diſpenſare cum ſimoniace ordinato ob pecuniam datam Epiſcopo, ordinato neſciente 1.q.5.c.1. Poteſt ob Eccleſiæ neceſſitatem,aut etiam vtilitatem,cum ſimoniacis in ordine diſpenſare, d. c.Præſentium. Poteſt diſpenſare cum ijs, qui à ſimoniacis ſcienter in contemptum Eccleſiæ promoti celebrauerint 1.q.7. Si quis omnem. Poteſt cum talibus diſpenſare,vt in alia Eccleſia celebrare poſſint 1.q.5. Quicunq; Poteſt diſpenſare cum Sacerdote in ſimonia occulta, & rehabilitare eum ad beneficia obtenta, & obtinenda in foro conſcientiæ, quia & id habet Epiſcopus, ex Conc. Trid. ſeſſ.24.de reform.c.6.

No. 2. In ordinibus retinendis, quos quis ſcienter emit, nulla admittitur diſpenſatio,extr.de ſimonia,nobis. Cum eo, qui ſcienter emit beneficium, non poteſt diſpẽſare, niſi fortè dicto beneficio renunciauerit, quo caſu poteſt in eo, vel in alio tolerari 1.q. 1. qui ſtudet, & ibi

per D. Io. de Turrecrem. n.2. Non poteſt diſpenſare in ſuſpenſione contracta ex ordinatione ſimoniaca ex parte ordinatoris, & ordinati, 9. q. 1. Ab excommunicatis. 1.q.1.ſi quis Epiſcopus. Idemq; dicendum de obtinente beneficium, & conferente. Syluester verb. caſus q.1.n.13. Non poteſt abſoluere ab excommunicatione, aut ſuſpenſione Conſt.7.Eugenij IV. incip. cum deteſtabile, contra dantes, vel recipientes, procuratores, & mediatores; quia pontifex id ſibi reſeruauit. Nec à cenſuris contentis in bulla 12. Pauli IV. incip. Inter cæteras, contra eos, qui in obtinendis beneficijs perſonas aliorum ſimulauerint, & tanquam tales ſe examini ſuppoſuerint, aut beneficia pro perſonis id ignorantibus, ſiue pro ſe, ſiue pro alijs, cum oblatione alicuius penſionis annuæ, aut cum ſpe penſionem annuam, aut aliquod quantumuis modicum temporale commodum ab eis conſequendi, quia hæc ſibi Pontifex reſeruauit. Neq; à cenſuris contentis in Bulla 85. Pij IV. incip. Romanum, contra committentes ſimoniam confidentialem in beneficijs, & penſionibus, quæ vt plurimum contingere ſolet in reſignatione, collatione, electione, præſentatione, eo animo vt beneficium, vel fructus in totum, vel in parte reſtituatur ipſi collatori, reſignatori, &c. aut alteri ad ipſius inſtantiam. Hanc conſt. confirmauit Pius V. conſt. 85. & extendit cenſuras ad DD. Cardinales, vt in declaratione per ipſum facta conſtat. Neque poteſt diſpenſare cum ſimoniacis, qui indulgentias, vel facultatem eligendi confeſſarium pro caſibus reſeruatis pro certa pecuniæ ſumma concedunt, conſt. 99. Pij V. incip. Quam plenum. Neque à cenſuris contentis in conſt. 104. eiuſdem Pontificis incip. Dum nimis, contra exigentes, vel petentes aliquid pro collatione, prouiſione, vel admiſſione in poſſeſſionem beneficij, ſeu pactione cum prouiſo de fructi-

Digitized by Google

bus illius anni, præterquam in caſu conceſſo per Conc. Trid. ſeſſ.24. cap.14. ad pios vſus, quia hanc facultatem ſibi Pontifex reſeruauit priuatiue ad alios.

No.3. Aliæ quoque ſunt conſtitutiones Pontificiæ huiuſmodi cum reſeruatione, quas videre oportet, ne Legatus vtatur authoritate, quam non habet; Earundem conſtitutionum explicatio habetur apud Doctores, qui, & recenſent pœnas impoſitas, & oſtendunt, qui afficiantur & qui non: Ad propoſitum hæc ſufficiant, ne tractatum tractatui adnectamus.

No. 4. Hoc ſolum incidenter addo, non eſſe ſimoniam vendere Sacerdotem in ſeruum, licet ſit ei adiunctus ſacer ordo; Neq; etiam ſi eo intuit emitur, aut venditur, vt miniſtret in Sacerdotio, ſicut nec cum emitur terra, vt in ea ædificetur Eccleſia 54. di. Generalis. Peccauit tamen Iudas Chriſtum vendendo 1.q.1. Studuit, & grauiſſima culpa, non tamen ſimonia: licet enim Chriſtus authorem gratiæ ſpiritualis pretio vendiderit, non tamen ipſum vendidit, tanqnam donum ementibus vtile, ſed vt morte perimendum. Dominicus Soto de iuſt.& iur. lib.nono quæſt.5. ar.1.

PARAGRAPHVS VIII.

De Authoritate Legati diſpenſandi circa ætatem.

No.1. POteſt Legatus de latere diſpenſare cum eo, qui vigeſimum annum expleuerit, ad dignitates, ac perſonatus cap. vnic. de ætat. & quali. præfic. in ſexto. Si ætas ordinandi ſit in dubio, & aliqualiter probetur publica fama, aut teſtes deponant, poteſt Legatus ſupplere cum ipſo, preſertim ſtante neceſſitate Eccleſiæ, & ſufficientia ordinandi 78. di. ſi triginta. Poteſt diſpen-

ſare

ſare cum eo, qui ante legitimam ætatem ignoranter ordinatus miniſtrauit in ordine, 9. q. 2. Lugdunenſis, & 75. di. Ordinationes: & ſecundum Bonacinā verb. ordo n. 31. poteſt diſpenſare in interſtitijs ad ſuſcipiendos quoſcumque ordines, & extra tempora. Ita in litteris legationis. Non poteſt diſpenſare ante annos pubertatis ad profitendum in religione quantumcumque puer ſit doli capax, & habeat vſum rationis. Sylueſt. verb. Religio 3. q. 2. Non poteſt diſpenſare circa ætatem ordinandorum, Sylueſt. caſus 2. num. 23. & ordinati ſine diſpenſatione Papæ, ſi miniſtrant in ſuſceptis ordinibus, fiunt irregulares, & cum eis non diſpenſatur, niſi per Papam, ſecundum Io. Andr. Archid. & Innoc. in cap. cum æterni, de regular. in ſexto.

Digitized by Google

LIBER SEPTIMVS

PARAGRAPHVS I.

De authoritate D. Legati in concedendis facultatibus alienandi bona Eccleſiarum.

No.1. Ex vi litterarum poteſt D. Legatus concedere licentias quibuſcumque perſonis, Eccleſiaſticis beneficia ſecularia, vel regularia obtinentibus, & volentibus eorum conditionem meliorare, vt illa dare poſſint in emphyteuſim, dummodo conceſſio non fiat vltra tres generationes, & ſub annuo cenſu, vel canone non excedente ſummam quinque ducatorum auri. Poteſt dare licentiam alienandi, vel permutandi bona beneficiorum in euidentem vtilitatem. Poteſt alienationes, & permutationes iam factas confirmare, ſupplendo iuris, & facti defectus. Dicta conceſſio non debet fieri, niſi cum cauſæ cognitione, non minus, quam duobus Legatis committenda, qui debent procedere coniunctim, ſeruata forma præſcripta per Paulum ſecundum, Ambitioſæ.

Quæritur. Prælatus iurauit non alienare inconſulto Papa, vt habetur in Pontificali num. 81. & 120. quæritur, an Legatus poſſit diſpenſare in prędicto iuramento?

Reſp. per Panormitanum in c. vt ſuper de re Eccleſiæ non alien. & Sylueſtr. verb. alienatio q. 16. quod non. Sed hi intelligi debent loqui de iure communi; modò vero, ſtante authoritate relaxandi iuramenta, etiam licita, conceſſa Legato, poterit dare licentiam alienandi ei, qui

ſic

ſic iurauit, quia vtrumque cadit ſub facultate ſpecialiter demandata.

Quæritur ſecundo, An ſic diſpenſans debeat duplici actu facere, ſcilicet, vno relaxare, altero diſpenſare in alienatione?

Dico, quod non: quia cum facultas alienandi non detur abſque cauſæ cognitione, & non obſtante iuramento, vnus actus ſufficit.

Quæritur tertio, An D. Legatus poſſit alienare bona Eccleſiæ ſibi commẽdatæ? Difficultatem hæc quæſtio videtur habere ex varijs conſtitutionibus Pontificum prohibentibus alienationem bonorum Eccleſiæ, & auferentibus ſuper eo facultatem officialibus Curiæ, alienationes factas reuocantibus. His accedunt iuramenta Prælatorũ de non alienando, Epiſcoporum quidem reſpectu bonorum ſuarum Eccleſiarum, Cardinalium reſpectu bonorum Sedis Apoſtolicæ; Et in primis 12.q.2. Alienatio rerum Eccleſiæ interdicitur c. Res in Epiſcopatu, ex Greg. lib.10.ep.72. cap. Apoſtolicus, ex octaua Synodo vniuerſali, cap.14. cap. Non licet, ex Symmacho in Synodo c. 4. cap. Diaconi in Concil. Agathenſi c.29. Conſt. Leonis X. incip. occaſio, prohibentis Epiſcopis alienationes abſq; cleri tractatu, & conſenſu, & cum certitudine vtilitatis Eccleſiæ. Conſt. Pauli II. Ambitioſæ, addentis pœnas excommunicationis, &c. & interdicentis ingreſſum Eccleſiæ Abbatiali, aut Pontificali dignitate fulgentibus; inferioribus verò prælatis pœnam priuationis bonorum alienatorum. Conſt. Pij V. 79. incip. Volentes, reuocatoria facultatum Camerarij, Clericorum, & aliorum officialium Cameræ Apoſtolicæ concedendi commiſſiones in forma, ſi in euidentem, ſuper alienatione bonorum Eccleſiarum, & locorum piorum. Can. Concil. Trid. ſeſſ. 25. q. 1. prohibentis alienationem ſeù locationem in-

præ-

præiudicium ſucceſſorum præſentata pecunia.

Quod autem dd. Conſtitutionibus afficiantur DD. Cardinales, ſentiunt Roderic. de priuil. regul. q. 27. ar. 2. Bonacina, & alij, ea ratione ſuaſi, quia materia fauorabilis eſt Eccleſiæ, & allegatur Bartol. leg. 2. §. Ibi; quaſi doceat hanc facultatem non dici conceſſam, niſi exprimatur ſpecialiter.

Demum obſtat iuramentum prædictum Prelatorum de non alienando, &c. quod quidem aliqui Doctores tanti faciunt, vt velint, quod ſi etiam aliquis Prelatus dictum iuramentum non emiſiſſet, præſumitur tamen præſtitiſſe; quod quidem ipſe minimè approbo, ſaltim quoad forum animæ, ex Nauarr. de alienatione rerum Eccleſiæ num. 16. neque conſuetudo, aut lex iuramentum facit.

His præmiſſis, duo in Legato poſſunt cōſiderari, ſcilicet & id quod eſt Cardinalatus, & id, quod ſpectat ad Dignitatem Legati; quæ duo adeo ad inuicem diſtinguuntur, vt Legatus minimè comprehendatur in odioſis nomine Cardinalium, ſicut neque appellatione aliorum Legatorum 36. di. c. Abbatum de elect. cap. 1. de verb. ſignif. in ſex. Roderic. queſt. reg. to. 2. q. 63. n. 3. Cherub. Schol. 2. ad Conſt. 17. Eugenij IV. ex quibus ſic argumentor. In nulla dictarum Conſtitutionum ſit ſpecialis mentio de Legatis à latere, ergo illis minimè comprehenduntur, & conſequenter in eis eſt facultas alienandi, &c. antecedens eſt euidens, nam dictę conſtitutiones tantum inferiores exprimunt, ergo Legatos excipiunt.

Item Nicolaus Francus Legatus de latere Sixti IV. fratribus Monaſterij de Monte Marca Ordinis S. Hieronymi facultatem fecit vendendi bona, quæ eis legata per ipſos adminiſtrari non poterant ſine damno, aut incommodo, &c. vt refert Roderic. p. q. 27. art. 2. Tandem pluribus

ribus

Digitized by Google

ribus Legatis de latere reperimus conceſſam per Breuia ordinaria Legationum dictam authoritatem; In eis enim præciſe hæc leguntur: *Vt poſſis concedere quibuſcumq; perſonis Eccleſiaſticis beneficia ſecularia, aut regularia obtinentibus, oonditionem beneficiorum volentibus meliorem efficere, vt illa dare poſsint in emphyteuſim; dummodo conceſsio non fiat vltra tres generationes, & fiat iuxta formam Conſt. Pauli II. Ambitioſæ.* Nec dici poteſt, quod pro neceſſitate conceſſa fuerit, vt patet, Vnde locum habet ca. quod pro remedio 1. q. 7. Quantũ verò ad DD. Cardinales non Legatos, pro ipſis eſt, quia DD. Cardinales in generali diſpoſitione non comprehenduntur abſq; expreſſa mentione. Barboſ. in c. officij de off. Leg. n. 4. Item in cap. Ad ſuccidendos, ex Bonif. 8. n. 4. & in prædictis Conſtitutionibus nominantur Epiſcopi, & inferiores, & Conſtitutio Pij V. ſe extendit dumtaxat ad nominatos. Addit Roderic. vbi ſupra, huiuſmodi authoritatem inferioribus ſæpe conceſſam. Sed & nonnulli Doctores tenent, quod ſeruatis ſeruandis, non ſit neceſſarius conſenſus Sedis Apoſtolicæ. Roderic. q. 36. & 42. poſt Nauarrum tom. 2. ad Conſt. Pauli II. n. 2. qui ſubiungit: quod iuramentum de non alienando reſtringitur ad alienationem ſine iuſta cauſa, vel non ſeruata formâ, quod expreſſius docet num. 17. Sed (ipſius pace dixerim) non aduertit, quod vacuum eſſet iuramentum, quod ſolummodo factum eſſet pro cauſa iniuſta.

Dico primò. D. Cardinalis etiam non Legatus poteſt alienare rem parui pretij Eccleſiæ ſibi commendatæ. Probatur: quia hoc fieri poteſt ab inferiori cum aſſenſu Epiſcopi cap. Terrulas 12. q. 2.

Dico ſecundò. Ad id tria copulatiuè requiruntur, ſcilicet, quod res ſit exigui valoris, quod ſit non vtilis Eccleſiæ, & quod adſit neceſſitas alienandi. Barboſ. alleg. 43. n. 50.

Dico tertiò. Non fuit d. capiti derogatum per Conſt. Paull II. neq; per Concilium Trident. Barboſa.

Dico quartò. Dictum primæ propoſitionis procedit in locatione rei exigui valoris vltra triennium. Aloyſius Riccius deciſ. 115. n. 10. & reſol. 98. n. 4.

Dico quintò. D. Legatus de latere poteſt alienare bona Eccleſiæ ſibi commendatæ, in ea quantitate, in qua poteſt concedere alteri volenti meliorare beneficium, quia poteſt vti priuilegio, quod concedit. Licet enim quis non poſſit exercere actum iuriſdictionis in ipſum, poteſt tamen vti eis, quæ authoritate iuriſdictionis alijs conceduntur, tam in ſpiritualibus, quam in temporalibus, per D. Th. in 4. diſt. 21. & Paludanum ib. & poteſt accipere de bonis communibus, ſicut alijs diſpenſare, quamuis ſibimet non poſſit dare, quia item dantem, & accipientem debet eſſe differentia.

Quæritur quartò, quæ debent dici Terrulæ?

Reſp. Glo. in eo c. Illę poſſunt dici Terrulę, vel vineolę, quæ non valent vltra viginti ſolidos auri, vel quæ nullius ſunt valoris. Imol. eo c. n. 5. poſt Abb. in c. 1. de his, quæ fiunt à Præl. Aloyſius Riccius vbi ſup. & cap. ſi quis 12. q. 2. Quid autem intelligatur per viginti ſolidos auri, non eſt facile videre: ſecundum tamen communiorem ſententiam dicerem, quod intelligitur vna libra auri, & hoc intelligitur ex facultate conceſſa à Papa Legato, dum dicitur, poſſe Legatum dare licentiam dandi in emphyteuſim bona Eccleſiaſtica, dummodo annuus cenſus non excedat ſummam quinque ducatorum auri.

Quæritur quintò. An ſi non ſequatur vtilitas in alienatione, quæ æſtimabatur ab alienante, debeat retractari contractus alienationis?

Reſp. quod non debet retractari, ex quo legitimè, & ſolemniter eſt celebratus, niſi fraus interuenerit, quæ irritet

con

contractũ, vel irritaret: neque qui ſic bona fide alienauit, culpandus eſt. Io. de Turrecrem. 12. q. 2. ſine exceptione.

No. 2. Alienatio facta de licentia Legati, ſi non habet iuxtam cauſam, & licentiam, ſeruataq; debita forma, & ſolennitate, eſt inualida cap. 1. de rebus Eccl. non alien. in ſex. Clement. 1. eo tit. ſolius enim Papæ licentia non requirit ſolennitates. Quaranta eo tit. 12. quæſt. 2. Si Epiſcopus. De licentia Legati poſſunt dari in emphyteuſim bona non ſolita ab antiquo dari, aliàs enim vanum eſſet priuilegium. Panorm. in c. licet de regul. & Innoc. in c. olim de verb ſignif. Non poteſt tamen concedere, vt bona vnius Eccleſiæ dentur in Emphyteuſim alteri Eccleſiæ, quia non eſt ſpes, quod reuertantur. Anchar. conſil. 450. n. 4. Et Legato non permittitur diſpenſare, quoad emphyteuſim vltra tertiam generationem. Non accedente conſenſu Deputatorum ad cognoſcendum de alienatione legitima, nulla eſt licentia Legati, quoad effectum, quia in litteris legationis, à quibus hæc decerpta ſunt, iubetur obſeruantia Paulinæ Ambitioſæ cum clauſula irritante. Non poteſt dare licentiam ſubditis Sedis Apoſtolicæ alienandi bona ſtabilia ſtatus Eccleſiæ ad forenſes, & non ſubditos. Neque habet authoritatem ſuper alienatione fortalitiorum, caſtrorum, bonorum iuriſdictionalium in ſtatu Eccleſiaſtico exiſtentiũ Conſt. 72. Vrbani VIII. incip. Sedes Apoſtolica. Eccleſiaſticorum bonorum nomine, quæ regulariter alienari non poſſunt, comprehenduntur etiam iura, actiones, & & nomina debitorum. Abb. in cap. Nulli, eo tit.

PARAGRAPHVS II.

De Authoritate Legati circa vltimas voluntates.

No. 1. NOn poteſt Legatus mũtare vltimas voluntates Teſtatorum, quãdo poteſt eorum mens adimpleri: Illud enim eſt ſolius Papæ in cauſa rationabili, & iuſto motiuo. Clement. quia contingit, de relig. dom. & ibi per Glo. S. Sedis Apoſtolicæ, quæ ſubdit, hoc eſſe addendum alijs reſeruatis, quæ recenſentur in cap. quod tranſlationem; Io. Ant. de poteſt. Principis cap. 17. n. 3. Quando autem non poteſt adimpleri mens teſtatoris, poteſt Legatus decernere, per Doctores in d. Clem. & id intelligitur, etiam ſi teſtator prohibeat, ne Legatus de ſua diſpoſitione ſe impediat, etiam appoſitis pœnis, &c. Panorm. in cap. tua nobis de teſtam. Io. Ant. de Petra cap. 17. n. 3. l. ſi teſtamentum C. de teſtam.

LIBER OCTAVVS

De auctoritate Legati in diſpenſando in irregularitatibus.

PARAGRAPHVS I.

De authoritate Legati circa irregularitatum ex delicto diſpenſationem.

No.1. POTEST Legatus diſpenſare in omnibus irregularitatibus contractis ex delictis minoribus adulterio, nam & id poteſt Epiſcopus. Poteſt diſpenſare in omnibus irregularitatibus prouenientibus ex delicto occulto, eadem dicta ratione 58. diſt. de his Clericus. Delictum occultum dicitur, quod opponitur manifeſto, ſcilicet, quod eſt notum per ſententiam, vel per conuictionem, vel per confeſſionem factam iuridice metu probationis; vel quod nulla poteſt tergiuerſatione celari. D. Antoninus 3. p. tit. 20. cap. 2. §. 3. Nauarr. cap. 27. n. 194. & 250. Item delictum dicitur occultum, quando, etſi factum fuit publicatum, culpa tamen eſt occulta, Nauarr. ibi n. 255. Non poteſt diſpenſare in irregularitate contracta ex hæreſi, ob Bullam in Cœna Domini, Cherub. Schol. 2. ad Conſt. 22. Clem. VII. Placuit, & in obſeru. ad Conc. Trid. ſeſſ. 24. cap. 7. de reform. ex Bullar.

No.2. An in alijs irregularitatibus poſſit diſpenſare, haud leuis eſt difficultas; quia irregularitas regulariter eſt Papæ reſeruata, iuxta Nauarr. Conſil. 9. tum quia irregularitas eſt ſtricti iuris. No. in c. 1. de fil. presb. in ſexto, & c. cum illis de præb. tum quia, cum exprimatur facultas

tantum

Digitized by Google

tantum in foro animæ conceſſa, videretur extra illum ſirmanda regula 25. di. Qualis.

Dicerē nihilominus, Legatū poſſe diſpēſare in omnibus irregularitatibus, quæ nō ſunt ſpecialiter reſeruatę Papę. Neq; audiendos eos, qui aſſerunt irregularitatem vniuerſaliter Papæ reſeruatam eſſe. Nam vt Syluest. verb. caſus q. 2. n. 13. & alij cum eo obſeruarunt, Papæ non niſi certæ irregularitates sūt reſeruatæ: quæ vero illæ ſint, ſubdit dicens, eas eſſe, quæ contrahuntur criminibus maioribus adulterio; vt cum quis eſt confeſſus, vel conuictus in iudicio; ex bina baptizatione ſcienter; ex bina ſuſceptione eiuſdem ordinis; ex rechriſmatione, ex ſuſceptione ordinis ab hæreticis ad fidei ſubuerſionem; ex ordinatione ſimoniaca ex parte ordinantis, & ordinati. His addit D. Io. de Turrecrem. 32. q. 7. Quid in omnibus, homicidium 33. q. 2. Si qui, inceſtum, peccatum contra naturam, vt ibidem; quamobrem cum aliæ non reperiantur expreſſe reſeruatæ, Legato competere diſpenſationem in eis dici poteſt. Immo & Epiſcopus in pluribus irregularitatibus diſpenſat. Doctores eo titulo, & videndi ſunt.

No. 3. Diſpenſatus in foro Eccleſiaſtico non poteſt accuſari de eodem delicto in foro ſeculari, ſi diſpenſatio publicè facta fuerit, No. in cap. 2. de ſchiſm. & hodie ſacra Penitentiaria in litteris, ſeu reſcriptis apponit clauſulam, *In vtroque foro*.

No. 4. Non poteſt reſtituere degradatum ſolemniter ab ordine, ſine ſpeciali mandato 2. q. 6. Ideo; ſecus de depoſito ſolum verbaliter. cap. & ſi Clerici, de Iudic.

Digitized by Google

PARAGRAPHVS II.

De authoritate Legati in diſpenſando cum bigamis, & corpore vitiatis.

No. 1. POteſt Legatus diſpenſare cum bigamo ad ordines minores, quia & id poteſt Epiſcopus per D.Thomam 4.ſent.di.27.q.3.ar.3.& etiam quantum ad ordines maiores cum eis, qui volunt ſeruire Deo in religione, & hoc in probabiliori ſententia. Quæ à recentioribus in oppoſitum afferuntur ex deciſ.ſac.Congregationis, valere intelliguntur, quando fuerit definitum, Legatum de latere non poſſe in dictis diſpenſare; quod non probatur, & præſertim ſi contraxerit cum virgines. D.Io. de Turrecrem.cap.quiſquis Clericus 84. di. D. Petrus de Palude 4.ſent. di. 27. ait, nihil inueniri de iure competens DD.Legatis, quoad diſpenſationem cum Bigamis, & licet habeant pleniorem poteſtatem Epiſcopis, nihilominus non ſequitur, quod poſſint diſpenſare in his, in quibus non poteſt Epiſcopus, ſed ſolummodo, quod poſſit in ſua prouincia, quod Epiſcopus in ſua Dioceſi, & hanc ſententiam ſequuntur Sylueſter verb. Bigamus q. 6. Tabien. ibi q.7. Dominicus Soto 4. ſent. di. 27.art. vltimo. Petrus Ledeſma in tractatu de magno Sacramento Matrimonij ad eandem quæſt.dubit.vltima dicit, quod ſolus Papa, cum bigamo ad ſacros ordines diſpenſat; Verumtamen cum Eminentiſſimo Cardinali de Turrecremat. (ex eodem Prædicatorum ordine, ex quo omnes alij recenſiti fuerunt) 74. di. cap. Lector, pono concluſionem.

Legatus poteſt cum bigamo diſpenſare ad Subdiaconatum in neceſſitate, & caſu paucitatis miniſtrorum. Hanc

ipſe

Digitized by Google

ipſe colligit ex d.cap. Nec valet(inquit ipſe) quod dicunt aliqui, hoc eſſe abrogatum, ex eo, quod tunc temporis Subdiaconatus non erat ordo ſacer. De ſeru. non ordin. Miramur; quod enim non mutatur, ſtare non prohibetur C. de teſtam. l. Sancimus; Non inuenitur autem prohibitum in eo diſpenſare in caſu. Nec valet dictum aliorum, quod diſpenſatio illa eſt Papæ, non Epiſcopi, quia illud eſt ſtatutum iuris; Vnde ſecundum hoc, ad minores ſine alia diſpenſatione promoueri poſſunt; & ideo cum pariter permittat bigamos ordinari ad minores ſine neceſſitate, & ad Subdiaconatum; ad maiores non licebit ſine licentia Epiſcopi, pari ratione; ſed cum licentia fieri poteſt. Cum bigamo intrante religionem non diſpenſat Legatus ad Sacerdotium, & Diaconatum, quando eſt bigamia verè, & propriè dicta, vel in vno marito corruptæ. Poteſt diſpenſare in bigamia, quando eſt occulta, quod intelligitur ſic, quod factum ſit de natura ſua occultum, vt cum quis cognoſcit vxorem ſuam adulteratam; Nam licet publicum, & occultum nihil faciant ad bigamiam, faciunt tamen ad diſpenſationem. Non poteſt diſpenſare, ſi eſſet factum, vel cauſa bigamiæ occulta: per accidens, puta matrimonium clandeſtinum, quod debuit eſſe manifeſtum. Cætera extende ab Epiſcopis ad Legatos adducta à d. D. Cardinali.

No. 2. Poteſt Legatus diſpenſare cum corpore vitiatis ad ordinum ſuſceptionem, & executionem: Ex vi litterarum. Non tamen ſi ſit enormis defectus, & generans ſcandalum, vel impediens ordinis executionem 13. di. Per totum, Sylueſt. verb. caſu q. 2. n. 16. niſi habeat mandatum ſpeciale.

LIBER

Digitized by Google

LIBER NONVS

De auctoritate Legati circa Eccleſiaſticas cenſuras.

Ampliſsima redditur materia hæc ob innumeras cenſuras, quæ in Canone, in Clementinis, in Extrauagantibus, in Conſtitutionibus, in Bulla *Cena, aliſq; recenſentur, quas ne operoſum quidem, ſed impoſsibile eſſet attingere: propterea de præcipuis aliquid dicetur, & primum quidem in communi.*

PARAGRAPHVS I.

De auctoritate Legati de latere circa cenſuras in communi.

No.1. LEGATVS de latere abſoluit à qualibet iuris excommunicatione non reſeruata Pontifici ſummo, quia & id poteſt Epiſcopus. cap.1.de maior.& obed. & c.ſciant cuncti de elect.in ſex Felin. cap. ad Eminentiam de exc. Reſeruatæ papæ dicuntur, in quibus appoſita eſt dictio aliqua excluſiua, puta ſoli Pontifici, dumtaxat, tantum, & huiuſmodi: ſi enim aliqua harum, vel ſimilis fuerit appoſita:iam per eam excluditur Legatus etiam de latere, niſi fiat exceptio expreſſa,quia nunquam nomine Papæ venit Legatus cap. ſi gratioſe de reſcript. in ſex, & præſertim extantibus dictionibus excluſiuis. Vnde facultas abſoluendi ab alijs non eſt extendenda ad reſeruata Papæ, quia in exorbitantibus non fit extenſio de vno ad alium, etiam propter maioritatem

Digitized by Google

rationis, cap. quod tranſlationem, Syluest. verb. Delegatus q. 12. An poſſit abſoluere à reſeruatis Sedi Apoſtolicæ, dubitant Doctores. Nihilominus eſt aliquorum ſententia, appellatione Sedis Apoſtolicæ venire Legatũ. No. Gemin. cap. Si Abbatum de elect. in ſex. & ibi Archid. & in Concil. octoginta Epiſcoporum Romano primo ſub Siricio. Et fortaſſe poteſt abſoluere à reſeruatis Sedi Apoſtolicæ cum aliqua clauſularum excludentium, quia per dicta, dictio excluſiua ſolos Prælatos excluderet, qui non veniunt nomine Sedis Apoſtolicæ. Poteſt abſoluere ab excommunicatione lata ab inferiori, etiam ſi confirmata à Papa, ſine tamen cauſæ cognitione, & ſine certa ſcientia, Syluester verb. Abſolutio primo, quia confirmatio ex certa ſcientia, &c. operaretur reſeruationem Papæ. Habens priuilegium, vt non poſſit excommunicari à quocumq; non eximitur à Legato. cap. Ne aliqui de priuil. in ſex. & cap. Veniens de verb. ſignif. ib. Non poteſt abſoluere excommunicatum à D. Papa viua voce. Neq; à ſibi conceſſis in præſentia Papæ. Syluest. verb. Abſolutio 1. Non poteſt abſoluere eum, quem cum in prouincia exiſteret, excommunicauit cum cauſæ cognitione. Innoc. in cap. Nouit. de off. leg. quia huiuſmodi abſolutio requirit iuriſdictionem. Non poteſt abſoluere excõmunicatum à Legato Papę. Specul. tit. delegat. Nunc oſtendendum. Neque eum, qui per annum in excommunicatione perdurauit, quia hæreſim ſapit: Ita in litteris, & per Conc. Trid. ſeſſ. 25. c. 3. quod debet intelligi de denuntiato. Abſoluit ab excommunicatione ab homine ex eius defectu, vel negligentia. Syluest. verb. excommunicatio 8. q. 1. & ſummiſtæ. Id intelligitur etiam præter, & extra caſum deuolutionis ad Legatum per querimoniam, vel appellationem.

PA-

Digitized by Google

PARAGRAPHVS II.

De Auctoritate Legati de latere circa abſolutionem excommunicationis ex percuſſione Clerici.

No.1. LEgatus de latere poteſt abſoluere eum, qui ob pecuſſionē Clerici incidit in Can.Si quis ſuadente.cap.excommunicatus de off.leg. Abſoluit etiam ſi percuſſio ſit enormis.cap. ad Eminentiam de ſent.ex-comm. Io. Andr. Archid. de off. leg. in ſex. cap. 1. Abſoluit etiam ſi mutilauerit, vel occiderit. Panorm. d.c. Ad eminentiam, quia iura excipientia enormem iniuriam loquuntur de inferioribus Legato Sylueſt. verb. Delegatus q. 12. Poteſt abſoluere, & ſubditos ſuæ Prouinciæ, & alios vndecumque venientes, ita in litteris,& in hoc eſt eſt maior cæteris Legatis, qui abſoluunt tantum ſubditos ſuæ prouinciæ. c. excommunicationis. Poteſt prędictos abſoluere extra prouinciam eundo, & redeundo, cap.quod tranſlationem de off. leg. & ſtatim ac egreſſus eſt Vrbem, quouſque reuerſus fuerit, licet iuriſdictionem nō habeat,niſi in prouincia ſibi deſtinata. Glo.in cap. Ad eminentiam,Paulus Burgaſius de irregul. p.3.de diſpenſatione Legatorum. Ad huiuſmodi abſolutionem non eget ſpeciali facultate, & mandato cap.ea noſcitur de ſent.excommunic. Glo.in c.quod tranſlationem, & ibi Panorm. num.2.

L 2 PA-

Digitized by Google

PARAGRAPHVS III.

De Authoritate Legati de latere abſoluendi à nonnullis cenſuris, & in certis caſibus.

Et quæritur primò, Num D. Legatus poſſit abſoluere, & reconciliare hæreticum occultum.

SVppono, nomine hęretici occulti eum venire, qui quamuis in patria ſua ſit notus, & inter hæreticos natus, & verſatus, in terris tamen Catholicis, in quibus degit, aut Catholicus communiter cenſetur, aut hæreticus ignoratur. Nam vt poſt alios obſeruat Duardus in explicatione Bullæ in Cœna Domini, & ſingulariter de cenſur. p. 2. delictum in loco diſtanti publicum, ſi non ſit ſpes, vt ad alium deferatur, dicitur occultũ in eo loco, in quo diſpenſatio fit aut abſolutio lib. 3. S. 2. q. 11. n. 10. & per D. 10. de Turrecrem. 2. q. 4. Conſuluiſti n. 10. & 11.

Suppono ſecundo, quod abſoluere hæreticum, cum ſit actus iuriſdictionis; dupliciter præſtari poteſt: aut ſcilicet per veram formam iudicij, & cauſæ diſcuſſionem aut per ſimplicẽ receptionem ſponte de locis infidelium venientis ad fidẽ: ſicut & aliud eſt baptizare ex officio infidelem venientem ad fidem, & aliud baptizare eundem in articulo mortis cõſtitutũ; Illius enim miniſter eſt ſolus Sacerdos, huius verò quilibet alius (etſi inter hæc non ſit omnimoda paritas) Licet ergo authoritas reconcillandi hæreticos penès Inquiſitores, & Ordinarios reſideat, ſi in primo modo loquamur, tamen circa ſecundum modum reconciliationis remanet dubitatio. Pro quo ſciendum, quod plura videntur D. Legatum ab huiuſmodi

ſun.

Digitized by Google

functione repellere. Primum, quia cum hæreſis recenſeatur in cap. Bullæ Cœnæ, & facultas D. Legati abſoluendi ab excommunicatione non extendatur ad contenta in dicta Bulla, ſequitur, vt hæc Legato non competat, quin, & in eadem cæteris à Romano Pontifice hæreticorum abſolutio interdicitur per clauſulam, *neque per alios*. Secundo obſtat, quia Doctores, vt plurimum cenſent facultatem per Concil. Tridentiuum ſeſſ. 24. de reform. cap. 6. collatam Epiſcopis abſoluendi ab hæreſi in foro animæ, per litteras Bullæ eſſe ſublatam, vt Barboſ. allegat 50. n. 55. vbi plures citat. His tamen non obſtantibus,

Dicerem primo. D. Cardinalis de latere Legatus poteſt reconciliare hæreticum dicto modo occultum ſpontè venientem ad fidem. Probatur: huiuſmodi facultas non eſt adempta Epiſcopo: ergo conuenit Legato de latere anteceeens probatur, in quo eſt difficultas. Quandocumque Pōtifices poſt Concil. Trid. alicui eiuſdem Concilij decreto derogare intendunt, de eo habent ſpecialem mentionem, vt patet inductiue in pluribus Conſtitutionibus, in quibus poſt recenſita in generali Concilia, ſpecialiter exprimitur Concilium Tridentinum, Vnde vſus obtinuit, vt nullam hoc Concilium patiatur derogationem, vbi non ſpecialiter nominatur. At Pontifex in reſeruatione abſolutionis à cenſuris contentis in Bulla Cœnæ, nullam de Decreto Trid. concilij mentionem habet: ergo non intendit ei derogare.

Probatur ſecundo. In litteris Bullæ aufertur facultas quibuſlibet perſonis, vt poſſit abſolui ab alio præter Rom. Pontificem, ſub prætextu quarumcumque facultatum, ſeù priuilegiorum, vt verba ipſa demonſtrant: Vnde non aufertur poteſtas Epiſcopis abſoluendi non prætextu priuilegij, vel facultatis.

Nec

Nec contra nos facit, quod abſoluendus, & abſolueus ſint correlatiui. Non enim quilibet abſoluendus comprehenditur in litteris, ſed ſolum qui prætextu indulti ſpecialis, &c.

Probatur tertio, & fortius. Nam plures Epiſcopi, immo,& omnes fere extra Italiam hoc vtuntur indulto Concilij Tridentini:ergo dicendum, quod dicta facultas ſit eis minimè adempta.

Nec ſufficit dicere, quod hoc faciunt in caſu neceſſitatis, & difficultatis recurſus, &c. quandoquidem paſſim abſoluunt, vt notat Alter.explic Bullæ S.Epiſcopo.

Probatur quarto. Nam in Bulla non interdicitur abſolutio ab hæreſi occulta, ſed ab hæreſi abſolute; vnde debet intelligi hæreticus is, qui talis manifeſte eſt, & vt talis ab Eccleſia dignoſcitur;cum ſimus in pęnalibus.

Dico ſecundo. Licet Epiſcopis eſſet adempta facultas iam dicta, nihilominus non cenſeretur ablata Legatis de latere, quia is non venit nomine Epiſcopi, aut iſto maioris in odioſis, vt ſupra dictum eſt. Item probo, quia ex eo, quod in litteris Bullæ adimitur authoritas Prælatis,& Confeſſarijs quibuſlibet ſub prætextu, &c. videtur magis firmata in Legatis iuxta regul. iur. & per Glo.in extrau. Inter, de verb.ſignif. Probo tertio: quia præſumentibus abſoluere pęna excommunicationis infligitur in eadem Bulla excomm.21. Sed neq; Cardinalis, neque Legatus à latere ſubiacent ſententiæ excommunicationis, vbi de eis non fit mentio expreſſa: ergo poteſt abſoluere, vt ſormentur ratio. Illis interdicitur abſoluere,quibus imponitur pœna ſi abſoluant: ſed D.Legato de latere non imponitur pęna ſi abſoluat: ergo Legatus non interdjcitur abſoluere.Ma. patet, quia prohibitio,& inflictio pœnæ eſt vnus tantum actus prohibitionis ſub pœna,&c. Probo quarto: Quia regula generalis eſt, vt in quibuſcumq;

cumq; reſeruatis,quando non patet aditus ad Romanum Pontificem,aut Legatum, poteſt pœnitens abſolui à quolibet Sacerdote cum conditione, vt ſe præſentet: ergo in grauioribus Legatus poteſt abſoluere.

Dico tertio.In caſu,quo hæreticusoccultus nollet reuelari, & impediretur ex hac cauſa eius cõuerſio, vel nimis retardaretur, Dominus Legatus poteſt eum abſoluere,& reconciliare, & deberet.

Probatur:quia etiamſi non liceret aliàs Legato id facere,attamen in neceſſitate licitum eſſet,& debitum. Reg.124.& confirmatur:quia neceſſitas corporis facit licitum, quod aliàs in Lege licitum non eſt: ergo magis neceſſitas animæ.Glo.extr.execrabilis de præb.

Probatur ſecundo: Ea quæ ſunt iuris Diuini, licitè prætermittuntur ob ſalutem corporis:ergo magis, quæ ſunt iuris poſitiui,ob ſalutem animæ: antecedens probatur, quia Machabęi pugnabant ad defenſionem in die Sabbathi 23. q. vltima Si nullus.

Ad primum, in oppoſitum dicitur, quod, etſi Legato non competat abſoluere à caſibus in Bulla Cęnę indiſtinctè, non inconuenit, quod in caſu poſſit, ſicut & Epiſcopus per Concilium; Neque hoc eſſet vſurpare authoritatem, ſed agere in fauorem animæ, & fidei.

Ad ſecundum dicitur, quod excluſione illa excipiuntur pręſumentes abſolui prætextu priuilegij ſpecialis.

Ad tertium dicitur, falſum eſſe, quod per dictas litteras derogetur Concilio, ratione iam dicta.

Neque vrgeas hoc eſſe munus Inquiſitorum, in Clem. Nolentes de hęreſi. Non enim inconuenit vnum tale contingere alicui generaliter ex officio, alteri in particulari ob eminentiam dignitatis.c. Niſi ſpeciali, de off. leg. Inſuper delegatio generalis ad cauſas fidei obuiat,ne Legatus ſe immiſceat in cauſis vertentibus coram Inquiſitore

tore, at non obſtat quo minus ſuccurrat in caſu noſtrò, & in talibus circumſtantijs. Si addatur ſtylus curię in oppoſitum; dicitur quod conſuetudo potius eſt ſacti, quia Iquiſitores ſunt ſpecialiter Iudices, ad eos regulariter ſpectant, & deferuntur cauſę fidei, eoſque nequit Legatus impedire &c.

Quod aliqui ex Doctoribus hoc minimè approbent in D. Legato, ex regula illa, quod iure permittitur non ſemper tutum eſt: Non video quare trepident in his pręcipue, quæ merè ſunt iuris poſitiui, & vbi iuſta ratio ſuadet non poſſibile ſolum, ſed neceſſarium omnino, & debitum. Tandem in cap. Ea noſcitur, de ſent. excomm. definitum eſt, vt abſolutus propter impedimentum ab inferiori Prælato à ſententia excommunicationis Papæ reſeruatę, impedimento ceſſante, teneatur ſe pręſentare coram Papa, *vel Legato*, ſi id fieri poteſt: ex quo deduco, quòd Legatus veluti maiori præditus poteſtate, in huiuſmodi potuerit abſoluere ab initio.

Neque obſtat limitatio in litteris Legationis, videlicet, quod poſſit abſoluere à quibuſcumque pœnis, & cenſuris in vniuerſali, & regulariter, non autem excludit caſum noſtrum, & conſimiles vrgentes.

Quęritur ſecundo. An D. Legatus de latere poſſit abſoluere à cenſuris Bullę in Cęna Domini.

Dico primo. Legatus de latere poteſt abſoluere à cenſuris contentis in Bulla Cœnę conſtitutos in mortis articulo: patet. Nam hęc facultas abſoluendi in mortis articulo conceditur omnibus, & ſingulis ſacerdotibus per verba eiuſdem Bullæ excipientis conſtitutos in mortis articulo: ergo & Legatus poterit, &c.

Dico ſecundo. Poteſtas abſoluendi conſtitutos in mortis articulo cõpetit Sacerdoti iure Diuino. Palud. in 4. ſent. di. 20. q. 1. ar. 2. 10. Capreolus di. 19. ad quartũ contra tertiam concluſionem.

Non

Non tamen inde ſequitur, quod pręſente Legato, aut Epiſcopò in tali caſu ſimplex Sacerdos poſſit abſoluere. Nam iuxta D. Tho. doctrinam in 4. ſent. loquentis in conſimili caſu de Baptiſmo, vbi plures reperiuntur, minor debet cedere maiori, ne quod ad animarum ſalutem Diuino creditur inſtitutum iurę, in præiudicium, aut contemptum tranſeat Prelatorum. Sed petes, quid dicendum, ſi minor pręſente maiori abſolueret?

Dico, quod valeret abſolutio, licet peccaret abſoluens.

Dico tertio. Prohibitio abſoluendi in articulo mortis eſſet intolerabilis error; hęc ſequitur ex premiſſa, eamq; docet D. Soto in 4 ſent. di. 18. q. 4. ar. 4.

Dico quarto. Non minus certum eſt, D. Legatum poſſe ab eiſdem cenſuris abſoluere impedimento legitimo detentos, ne poſſint recurrere ad Summum Pontificem; Nam & id poſſunt Epiſcopi. Syluester verb. Abſolutio 4. num. 7. Nauarr. Manual. c. 27. n. 89. Ratio eſt, quia Sac. Congregatio DD. Cardinalium decreto formato ann. 1607. declarauit facultatem abſoluēdi ab huiuſmodi cenſuris ablatam cenſeri omnibus Sacerdotibus ſecularibus, & regularibus, & non loquitur de Legatis.

Dico quinto. Sic abſoluti à D. Legato, ceſſante impemento, non tenentur ſe præſentare Summo Pontifici; Nam vt dictum eſt cap. Ea noſcitur: Tales abſoluti ab inferioribus, ceſſante impedimento, tenentur ſe pręſentare Papę, aut Legato: ergo, & Legatus extra impedimentum poteſt abſoluere, & abſoluti ab eo non tenentur ſe alteri præſentare.

Quęritur tertio. An poſſit abſoluere Confeſſarios abſoluentes ab excommunicationibus contentis in Bulla Cœnę Domini.

Dico, quod poteſt. probatur, quia excommunicatio contra confeſſarios abſoluentes à cenſuris Bullæ

prędictę non eſt reſeruata: ergo poteſt. antecedens probatur tum ex verbis d. Bullę, in quibus nulla habetur reſeruatio. Tum quia D. Papa poſt omnes Canones eiuſdé Bullę comprehendẽs eos omnes, excommunicationẽm transgreſſoribus imponit, eamq; ſibi reſeruat; Huic vero, qua ligantur confeſſarij abſoluentes, nullam reſeruationem apponit.

Quęritur quarto. An D. Legatus poſſit abſoluere à cenſura ob Monomachiam.

Dico, quod de iure communi non poteſt abſoluere inuitantes ad duellum, prouocantes, auxilium, conſilium, vel fauorem dantes, adſtantes, intereſſentes, de illis ſe intromittentes, etiam ſi nec pugna aliqua, nec certamen, nec effectus, nec acceſſus, aut actus ad pugnam proximus, nec expreſſa, aut aperta prouocatio fuerit ſubſecuta, nec manifeſte in publicum prodierint, aut cuiquam intimatæ fuerint, ſi per eos non ſteterit, quominus denuntiatio, aut publicatio fieret: neq; etiam priuatim huiuſmodi certamen ineuntes, adiuuantes, arma, & equos præbentes. Nam & Pius IV. & Clemens VIII. Conſt. incip. Illius vices, huiuſmodi abſolutionem ſoli Pontifici reſeruarunt.

Dico ſecundò. Nomine duelli in dd. Conſtitutionibus intelligitur duellum cruentum fine tendens ad ſanguinis effuſionem, quantum ſit de ſe; aliter enim non eſt prohibitum ſub cenſura. D. Io. de Turrecrem. 2. q. 4. Monomachiam n. 10. Exceptiones huius caſus vide apud Doctores.

Quæritur quinto. An D. Legatus virtute facultatis abſoluendi à cenſuris Canonis, ſi quis ſuadente, poſſit abſoluere percutientes DD. Cardinales?

Dico primo, quod non poteſt: nã huiuſmodi abſolutionem Pontifex ſibi reſeruauit. c. felicis, de pœnis in ſexto; excepto mortis articulo.

Qua-

Quæritur ſexto. An poſſit abſoluere extrahentes frumenta, bladas, animalia, &c. è terris ſtatus Eccleſiaſtici.

Dico primo. Poteſt tales abſoluere, quia Conſtitutio Gregorij XIII. nullam ponit reſeruationem ſpecialem, nec Conſtitutionem aliorum.

Dico ſecundo. Huiuſmodi abſolutio ſolet impendi cum clauſula, vt ſatisfiat Cameræ, &c.

Dico tertio. Non poteſt de iure abſoluere ab excommunicatione exules, & alios in Italia commorantes, qui animalia, & alia bona in ſtatu Eccleſiaſtico diripiunt, abducunt, furto ſubtrahunt, nec non ab eis ementes, recipientes, permutantes, permutantes, aut quouis colore, ſeù prætextu retinentes; quia reſeruata ſoli Pontifici Greg.XIII. Conſt.98. Non ſine.

Quæritur ſeptimo. An de iure D.Cardinalis Legatus poſſit concedere facultatem extrahendi frumenta ex locis Eccleſiæ immediatè ſubiectis, vt aſportentur ad loca eidem Eccleſiæ mediatè ſubiecta.

Dicunt aliqui D.Legatum id poſſe, ſalua tamen conditione, vt non inducatur ex tali extractione inopia loco, & terris, à quibus extrahuntur; Probant, quia ceſſante fine Conſtitutionis, ceſſat Conſtitutio ipſa ex Nauarr. t.4. Henricus poſt Abb. in cap. quia in multis, de regular. Angelic. verb. Lex n. 14. & alij apud Dianam p. 1. tract. 6. de paupert. religioſorum reſol. 33. Et cum finis Summorum Pontificum prohibentium extractiones frumentorum, ſit conſeruatio annonæ, & abundantia Ciuitatum, ſequitur, vt, hoc ceſſante, ceſſet & Bulla, & non obliget.

Sed hoc haud ſatisfacere videtur. Tum quia deficientia legis in particulari, non ſufficit ad excuſandum agentem contra legem, vt cum communi ſententia docet Magiſter Dominicus Soto de iuſt. & iur. lib. 1. q. 6.

ar.8. Tum quia abundantia annonæ, & ſubditorum non eſt verè finis conſtitutionum contra extrahentes, ſed potius cauſa impulſiua editionis earum: ceſſante autem impulſiua, non ceſſat lex, vt per plures textus probat Syluester verb. cauſa q.4.

Neq; quod ex d.cap. Inſulis affertur, vt fundamentum, valet ad hoc, quandoquidem ibi fit ſpecialis Conſtitutio pro loco particulari, & peculiari motiuo, & in cæteris habetur iuris determinatio, ſeù diſpoſitio 20. q. 1.c.1.& q.2. ſi in qualibet, & cap. puella His addendum cenſeo, quod quando apparet de mente Legiſlatoris, eſt ei ſtandum, etiam contra proprium verborum ſignificatum, quia verba deſeruiunt intentioni, & non è contra, vt in l.cum pater S.Dulciſſimus ff. de leg. 2. l. Non dubium C.de leg. Vnde cum appareat, mentem Pontificum ſtatuentium contra extrahentes, ſolum reſpexiſſe beneficiũ, & commodum ſubditorum, non autem intendiſſe aliorum calamitatem: Hinc ſequitur, quod in caſu, quo Ciuitas quoquomodo Papæ ſubiecta egeat frumento, ac bladis, poſſit Legatus permittere aſportationem ad illius leuamen, ſalua ſemper indemnitate loci, à quo aſportanda ſunt.

Addo ſecundo: quod ex intellectu legis non debet ſequi aliquod abſurdum; hoc autem eſſet, ſi Conſtitutiones prædictæ venirent intelligendæ in odium alterius, quæ in fauorem aliquorum editæ ſunt 4. di. Erit autem, No.Bar.in l.Omnes populi ff. de iuſt. & iur.

Addo tertio: quod lex poteſt interpretari per ſimilia, vt in l.Non poſſunt ff. de leg.& Doctores paſſim; Habemus autem, quod ex dd.Conſtitutionibus poteſt quiſpiã extrahere tantum frumenti, quantum ſibi ſufficit pro illo anno. Pij IV.Conſt & Greg.XV.incip. Romani Pontificis ex hoc formo inductionem; Hic & ille, &c. poteſt pro

anno

anno ſibi prouidere: ergo plures id facere poſſunt, quia non eſt maior ratio de centum, quam de decem, ſed eadem prorſus in omnibus, ſuppoſita egeſtate. Habemus item ex Conſt. Vrbani VIII. quod ratione mercimonij poſſunt aſportari frumenta ad loca Principum confinãtium: ergo magis ad ſtatum Eccleſiæ ſubiectum, licet mediatè.

Habemus tandem, quod cæteri Pontifices voluerunt prohibere extractionem frumenti ad meram mercaturã, & auaritiam, & ad arcendam penuriam ſubditorum: hoc ergo caſu ſecluſo poterit permitti extractio.

Neq; obſtat quod Paulus V. ſua Conſt. aufert etiam Legatis de latere authoritatem eam interpretandi, iudicandi, &c. Hoc enim intelligendum eſt iuxta prædicta, nimirum circa eos, qui mercaturæ, & lucri cauſa exportare præſumunt. His namque cenſendum eſt, neque D. Legatum poſſe huiuſmodi facultatem impertiri; non tamen ex eo prohibetur, poſſe concedere pro ſubditorum ſubuentione, etiamſi inde aliquod ſequatur lucrum; reſpiciendum eſt enim ad id, quod eſt per ſe. Vnde Greg. XV. in ſua Conſtit. ait. *Qui ex neceſſitate tantum ex locis ſtatus prædicti immediatè ſubiecti ad loca ſtatus mediate ſubiecti extra ſtatum noſtrum Eccleſiaſticum extraxerint, & aſportauerint, dummodo omnis dolus, & fraus abſit, ac mercaturæ, excommunicationis pœnas, ac cenſuras Eccleſiaſticas non incurrant.*

Demum non obſtat, quod ſic extrahentes, per dd. cõſtitutiones, & præcipuè Pauli V. egeant Chirographo Papæ: quia id intelligitur, quoad aſportationem extra ſtatum Eccleſiaſticum, & ratione mercimonij, & lucri: quia immo cum Religioſis, & mendicantibus indulgeatur, vt frumenta in eleemoſynam accepta poſſint aſ-

por-

ſportare pro victu communi, neſcio videre, quare Legatus ex conſimili cauſa nequeat facultatem concedere ad neceſſariam ſubuentionem locorum mediatè ſubditorum, dum egeant.

PARAGRAPHVS IV.

De autboritate Legati de latere circa Interdictum.

No. 1. POteſt D. Legatus diſpenſare cum perſonis vtriuſque ſexus tam ſæcularibus, quam Eccleſiaſticis, vt tempore interdicti faciant celebrari in locis interdictis. Non habet id de iure, ſed de conſuetudine, & ſolitis concedi, vt patet in litteris ſæpe citatis. Quæ autem ſolita ſunt concedi, etiamſi non expreſsè committantur, pro conceſſis habentur; Abb. in c. Niſi ſpecialis de off. leg. n. 3. Hæc tamen poteſt ſolum intra fines ſuæ legationis, licet gaudere poſſint beneficio vndecumque declinantes ad loca ipſa. Tempore celebrationis debent claudi ianuæ loci, in quo celebratur, nec poſſunt pulſari campanæ; debent excludi excommunicati, & hi qui dederint cauſam interdicto, vel quos ſpecialiter afficit. Poteſt relaxare interdictum, cuius ſententia eſt à iure, & cuius conditor non reſeruauit relaxationem. Si quando D. Papa, poſito interdicto, reſeruauit ſibi abſolutionem ab excommunicatione, poterit Legatus diſpenſare ſuper interdicto, quia de duobus ſuppoſitis vno reſeruato, aliud cenſetur conceſſum. Glo. in c. 1. Clem. de Hæreticis.

No. 1. Poteſt Legatus interdicere quoſlibet de ſua legatione ſibi contradicentes, etiam Epiſcopos, etiamſi in litteris non ſit expreſſa clauſula conſueta, ſcilicet, *Contradictores* per cenſuram Eccleſiaſticam compeſcendo, quia

quia cenſetur pro appoſità, per Abb. in cap. Niſi ſpecialis & cap. de cauſis, de off. leg. Sylueſter verb. Interdictum n: 3. Non debet relaxare ſententiam interdicti rationabiliter latam abſque congrua ſatisfactione, & conſcientia Epiſcopi, qui tulit eam; de off. ordinarij, cum Eccleſiarum. Si vero non ſit rationabiliter lata; poterit Legatus, etiam renuente Epiſcopo, eam relaxare; ſi ad eum recurratur per querimoniam; de ſent. excommunic. cum medicinalis in ſex. Qualitas, vel iuſtitia cauſæ de facili comprehendi poteſt ex ſententiæ tenore, tenetur enim ferens ſententiam interdicti aſſignare cauſam, exemplumque ſententiæ ad inſtantiam partis infra menſem tradere: quod ſi recuſet, permanet ſuſpenſus ab ingreſſu Eccleſiæ, & celebrans ſit irregularis, & abſoluitur à ſolo Papa d. cap. cum medicinalis.

Quæritur. Nam D. Legatus poſſit reconciliare Eccleſiam pollutam ob ſanguinis effuſionem.

Suppono, DD. Cardinales nonnulla ratione dignitatis obtinere, quæ Epiſcopo aſſeruntur conuenire ratione ordinationis; vt eſt, vti Pontificalibus in Eccleſijs ſuorum titulorum (vt diffuſius dixi in tractatu de dignitate, & priuilegijs DD. Cardinalium) Item tangere baptizatos in fronte ſacro chriſmate 95. di. Hinc formetur ratio: D. Legato competunt maiora, ſcilicet, vſus Pontificalium, tangere ſacro Chriſmate; ergo & minus in eodem genere (hoc dixi ad euitandas cauillationes) cuiuſmodi eſt reconciliare Eccleſiam. Illa enim videntur incommunicabiliter Epiſcopo conuenire, ita vt nemini valeat demandare, & inſtitutione Diuina ea ſortitur: ergo & D. Legatus hoc poteſt per regulam Philoſophicam de maiori ad minus; vnde Dico: D. Legatus poteſt Eccleſiam

con-

Digitized by Google

conſecratam, & poſtea effuſione ſanguinis pollutam reconciliare. Pobatur. Quantumcumque Sacerdos ſimplex non poſſit reconciliare Eccleſiam, ſi tamen reconciliet, valida eſt reconciliatio: ergo multo magis Legatus; antecedens habetur cap. Aqua, De conſecr. vbi Papa tolerat reconciliationes huiuſmodi à Sacerdotibus factas: ſi namque à principio non ſubſtiſſent, non potuiſſent confirmari, vt de reg. iur. ſicut ordinatus à non habente authoritatem debet iterum ordinari 68. di. Presbyter. Probatur ſecundo: Prælati mendicantium poſſunt Eccleſias ſuas pollutas, nolentibus, vel negligentibus Epiſcopis, reconciliare: ergo, potius Legatus. Antecedens, oſtēdunt Rodriques, Peirinus, ac alij de. regul. priuil.

Nec officit, quod iſti id habeant ex priuilegio; Tū quia ſunt inferiores Epiſcopo: tum quia ab his, quæ communiter conceduntur inferioribus, non debet excludi Legatus de latere, qui eſt Vicarius Papæ in omnibus nō ſpecialiter reſeruatis Videatur Armilla verb. conſecratio in fin. Rodriques lib. 9. cap. 27. n. 6.

PARAGRAPHVS V.

De authoritate Legati de latere circa ſuſpenſiones.

No. 1. POteſt Legatus abſoluere à ſuſpenſione poſita à Iure Dummodo Conditor Canonis eam ſibi, aut Papæ non reſeruauerit: cap. Nuper de ſent. excomm. De ſuſpenſione ab homine dicendum eſt, ſicut de excommunicatione, & interdicto. Non tamen ſequitur, vt Legatus poſſit diſpenſare in irregularitate, quam ſuſpenſus celebrando contraxit. De ſent. excommunic. cum Medicinalis in ſex. Non poteſt relaxare ſu-

ſuſpenſionem Clericis, aut regularibus, qui ob exhibita hæreticis Sacramenta ſunt priuati, ſeù ſuſpenſi ab officio ab Ordinaaijs, quia reſeruatur ſoli Papæ, cap. excommunicamus de hæretic. Neque eis, qui dederint hæreticis ſepulturam, aut ſcienter ab hæreticis eleemoſynam acceperint: quod intelligitur de hæreticis denuntiatis, & manifeſtis. Appellatio facta ab inferiori ad Legatum ſuſpendit ſuſpenſionem ſequentem, ſi appelletur ex cauſa iuſta, cap. cũ hoc, de appell. Si appellet quis ex cauſa friuola, & pronuntietur, appellationem non tenere, ſuſpenſus celebrans fit irregularis. c. Paſtoralis de appell. Appellatio ſequens ad ſententiam ſupenſionis, iuxta veriorem intellectum, tollit ſuſpenſionem à beneficio, non autem à ſpiritualibus, cuiuſmodi eſt celebrare, Ingreſſus Eccleſiæ, &c. Io. Andr. cap. Is cui de ſent. excomm. & Sylueſter eo tit.

No. 2. Quomodo ſit interpretanda ſupenſio iuris, & ab homine, quoad pœnas incurrendas, conſule Summiſtas eo tit. & de ſent. excomm. & cap. Ante, de re iud. & in cap. Is cui, & alias ſæpius; & diſces, quando quis ſuſpẽſus incurrit irregularitatem: quod valde neceſſarium eſt, vt ſciatur, in quibus D. Legatus habeat poteſtatem.

No. 3. Suſpenſio ab eo, quod non ſpectat ad actum alicuius ordinis, non inducit irregularitatem. cap. 1. de ſent. excomm. in ſex. Suſpenſio vero ab eo, quod eſt ordinis, vt à celebrare, ab officio ab ordine, &c. inducit irregularitatẽ in contrafaciente. Suſpenſus à Pontificalibus ſolum, poteſt exercere iuriſdictionalia, & celebrando in Pontificalibus non fit irregularis, quia Pontificalia non ſunt de ſubſtantia celebrationis, & Pontificatus non eſt ordo vniuoce cum alijs. Suſpenſio à Sacramentorum ſuſceptione, non inducit irregularitatem, quia participatio

non eſt ordinis. c.ſi celebrat de Cler. excomm. Suſpenſus à Sacramentorum collatione, ſi conferat non ex ordine, non fit irregularis. Hoſtien. cap. 1. de ſent.excomm. Suſpenſus ab ordine inferiori intelligitur ſuſpenſus etiam à ſuperiori, non è contra. cap. ſignificauit de corp. vitiat. Suſpenſio à beneficio intelligitur ſolum de fructibus beneficij, non de cæteris adminiſtrationibus. Suſpenſus ab officio eſt ſuſpenſus ab ordine,& iuriſdictione, nam quicquid habet electus eſt officij, præter beneficium. cap. cum dilectus, de conſuetud. Si ſuſpenſio à iure, vel ab homine feratur cum conditione, donec ſatisfecerit, facta ſatisfactione, relaxatur ipſo facto; ſi verò imponitur ſimpliciter, eget abſolutione, Syluеſter eo tit. q. 8. Abſolutio, ſeù relaxatio ſuſpenſionis non habet formam determinatam, ſed quibuſcumque verbis vtatur abſoluens, verè abſoluit, dummodo intendat abſoluere: communis tamen modus abſoluendi eſt, *Ego te abſoluo à vinculo ſuſpenſionis*, quam incurriſti, & reſtituo te executioni ordinum, vel officiorum tuorum, &c.

No. 4. Abſolutiones, ſeù diſpenſationes non debent à Legato impendi ijs qui in delictis perſeuerant, ſed ſolum ſe corrigentibus, & cauentibus.

Quæritur. An D. Legatus poſſit degradare Clericum?

Præmittendum eſt duplicem eſſe degradationem: quædam eſt depoſitio ab ordine, & gradibus Eccleſiaſticis, quædam verò à beneficio, vel etiam officio non concernente ordinem, aut in eo fundato.

Dico primò. D. Legatus poteſt Clericũ deponere à beneficio, & officio, modo dicto. Prob. quia deponere ab his eſt iuriſdictionis, & Legatus eſt Ordinarius in prouincia.

Dico ſecundo. Clerico depoſito à beneficio debet Legatus prouidere, vt ei alimenta de fructibus beneficij præſtentur, ſi non habeat, vnde viuat. Garcia p. 7. c. 3. n. 99. poſt plures. Di-

Digitized by Google

Dico tertiò. D. Legatus non poteſt degradare Clericum ab ordine, quia degradare ab ordine eſt ordinis: cap. tranſmiſſa de elect. & ibi per Glo. cap. Noſti, eo tit. & cap. 1. de tranſlation. Prælat.

Dico quartò. Non eſt omnino improbabilis opinio, quod Legatus non Epiſcopus poſſit degradare ab ordine; probatur, quia conferre eſt actus poſitiuus, degradatio verò eſt negatiuus, & non requiritur tanta poteſtas ad priuandum, quanta ad conferendum. Secundo, quia in ordinatione verè confertur ordo, in degradatione non aufertur ordo, ſed exercitium.

Digitized by Google

LIBER DECIMVS

De poteſtate Legati de latere, quoad collationem beneficiorum.

Licet ob multitudinem reſeruationum, & pluralitatem priuilegiorum, parum poteſtatis in exercitio remaneat Legatis attamen quia hoc extrinſecè, aut per accidens ſe habet; & quid de iure ſit dicendum: ideo etiam hanc materiam propono tractandam, vt nihil propoſito deſit, & prærogatiuæ Legatorum de latere appareant.

PARAGRAPHVS I.

De poteſtate Legati in conferendis beneficijs.

SOLVS Legatus de Latere poteſt beneficia conferre, non autem alij Legati, quantumcumque plenam habeant Legationem. Innoc. c. officij de off. leg. Vnde hoc habet ob prærogatiuam honoris ſupra cæteros Legatos. Hinc ſequitur quod huiuſmodi facultas competit Legatis à latere iure ordinario Legationis, non in in genere, ſed in ſpecie, hoc eſt talis Legationis. Garcia p. 5. cap. 3. n. 4. Nec placet dictum Cherub. Schol. 1. ad Conſt. 16. Pauli Tertij, quod hæc facultas dicatur ordinaria impropriè; ſed benè dicitur ſuperinducta, vt optimè Garcia ibi n. 9. arguens Gonzales, qui impropriè Ordinarios dixerat Legatos. Specul. §. Nunc tractemus de legato. Prouiſio Legati poteſt dici prouiſio Sedis Apoſtolicæ per Glo in c. ſi Abbatum de elect. in ſex. quæ in hoc ſenſu intelligitur, quod Legatus in ſua Prouincia gerit

Digitized by Google

gerit vices Sedis Apoſtolicæ in non reſeruatis,& dicitur prouidere vt ordinarius ; Garcia ib. n. 10.

No. 2. Legatus in ſua prouincia in collatione beneficiorum concurrit, ſicut papa, cum quolibet Ordinario, & inter eos eſt locus præuentioni. Abb. in c. 1. de off. leg.& cap. ſi à Sede Apoſtolica de præb.in ſex. & hoc intelligitur etiam in menſibus Ordinarij. Garcia p. 5. c. 3. n. 40. Vna Aſſiſien. 1587. coram Domino Orano. Si non appareat prioritas collationis, potior conditio eſt poſſidentis; & ſi nullus poſſideat, præferendus eſt, cui dignior contulerit. Boniſac. VIII. de præb. & dign. c. ſi à Sede. Poteſt conferre beneficia ſpectantia ad collationem exēptorum. No in d.c.ſi Abbatum de elect.in ſex & cap. De authoritate, de priuil. in ſexto. Poteſt conferre Canonicatus Eccleſię Cathedralis Abb.in cap.de prę b. Item beneficia, quorum collatio, ex negligentia deuoluta eſt ad Sedem Apoſtolicam. cap. Venerabilis de præb. Clem. ſi de beneficio. Et verius dicitur, quod Legato non currit tempus ſex menſium ad conferendum. Garcia p. 5. c. 3. n. 26. Item beneficia ſpectantia ad collationem Clericorum alterius prouinciæ, non tamen exiſtentia extra prouinciam. Non poteſt conferre beneficia litigioſa, lite pendente cap. Vt lite pend. in ſex. Neque Cathedrales, aut regulares, vel Collegiatas, & dignitates maiores poſt Epiſcopum in Cathedrali, cap. deliberatione, de off. leg. Non poteſt concedere ius ad vacaturas, licet poſſit beneficia vacatura ſuæ reſeruare collationi. Garcia ibid. n. 34. Non poteſt conferre vnum beneficium cum duobus ſub conditione, ſi prior non conſenſerit, habeat ſecundus. Abb.in c. Tuæ, de præb. & & per Doctores in cap. 2. de elect. in ſex, & hoc de conditione expreſſa, ſecus de tacita. Non poteſt conferre beneficium ad tempus, quia beneficia debent eſſe perpe-

tua

Digitized by Google

tua 50.di.c.præſens 11.q.7. Paſtoralis. Nō poteſt conſerre dignitates electiuas, neq; prohibere electoribus eligere; & ſi facit, ſacrilegus eſt.de Sacr.l.ſunt quidam.Non poteſt cōferre beneficia deuoluta ad Epiſcopos tāquā delegatos Sedis Apoſtolicæ c.Dudum,de præb.in 6.Legatus Papæ in Vrbe, recedente Papa ſi non habeat peculiare mandatum, non poteſt conferre beneficia Vrbis: tùm quia nec Vicarius generalis inſtitutus ab Epiſcopo habet facultatem concedendi beneficia. cap. 1. & 2. de offic. Vicarij in 6. tum quia beneficia in Vrbe ſunt reſeruata. Non poteſt Legatus impetrare ſibi, aut ſuis conſanguineis, vel familiaribus beneficia, vbi in cauſis priuationem beneficiorum concernentibus fuit iudex: Conſt.14. Pauli Quarti incip.cupientes. Non poteſt neceſſitare Canonicos ad recipiendum aliquem contra ſtatuta Eccleſiæ illius. Abb. in cap. cum ſit de conſtitut. Promiſſio facta à Legato de conferendo alicui beneficio primo vacaturo, non valet, quia eſſet contra Concilium Lateranenſe prohibens donationem, vel promiſſionem beneficij priuſquam vacet, extra de conceſſ. præb. c.2. & contra prædictum Concilium Legatus nihil poteſt, ſed ſolus Papa. Obijcies, ſi non poteſt promittere, ergo non poterit reſeruare primò vacaturum; quia idem ſunt. Sed dicitur, quod promittere plus eſt, quam reſeruare, iuxta Specul. part. 1. de Legato §. nunc tractemus §. Item Legatus Cardinalis, & ſeq. Nam vltra reſeruationem beneficij includit aſſecurationem eius, cui beneficium vacaturum promittitur.

PA-

PARAGRAPHVS II.

De Authoritate Legati, quoad Commendas.

No. 1. LEgatus de latere poteſt commendare beneficia, quia & id poteſt Epiſcopus, cap. Nemo de elect. in ſexto. Non tamen Eccleſiam Parochialem vltra ſex menſes, Concil. Trid. ſeſſ. 24. de reform. c. 18. In alijs, quæ poteſt commendare, poteſt id facere vltra ſex menſes, hoc eſt finitis illis, poteſt ad todidem alios commendare, vbi neceſſitas Eccleſiæ id poſtulauerit. Non poteſt commendare nisi in vita Clerici, nam ſolius Papæ eſt commendare in perpetuum, & cõmendare eſt deponere, hoc eſt ad tempus tradere. cap. ſi conſtiterit de accuſ. hodie tamen commendæ habent naturam tituli. Poteſt commendare vnam Eccleſiam habenti alteram in titulum, nam commenda ad tempus non repugnant titulo, niſi ſit perpetua, vel in fauorem Commendatarij, non Eccleſiæ. Garcia p. 4. c. 5. n. 47. Durat commenda etiam mortuo Legato commendante, cap. Nemo de elect. & cap. Dudum. An vacet beneficium per mortem Commendatarij? licet probabilis videatur affirmatiua, probabiliorem credit negatiuam Garcia ibid. num. 64. Per commendam factam à Papa beneficium manet affectum. ibid. n. 68.

PARAGRAPHVS III.

De authoritate Legati, quoad penſiones.

No. 1. LEgatus de latere poteſt imponere penſiones, & eas augere, de cenſ. & exact. cap. præterea cap. cum veniſſent de reſtit. ſpol. c. Audiuimus de colluſi. deteg. Rebuff. de pacificis poſſeſſ. num. 120. Gigas q. 6. n. 18. quia Ordinarij poteſtatem habet, Garcia de benefic. p. 1. c. 5. n. 181. Id facere tenetur cum cauſa, & de conſenſu Rectoris, Glo. eo tit. cap. 1. aliàs enim præſumitur impoſita in fraudem, niſi appareat de cauſa: Cardin. in cap. extirpandæ de præb. Garcia vbi ſupra n. 324. Vndè Legatus, & Epiſcopus abſque cauſa imponens penſionem, peccat mortaliter, & tenetur ad reſtitutionem, ſolius enim Papæ eſt pro libito voluntatis imponere penſiones. Gigas q. 6. n. 6. & ſequentibus. Immo nec ipſe poteſt abſque cauſa penſionem imponere, Syluester verb. beneficium. Caiet. Cardinalis 22. q. 100. ar. 1. ad 2. qui rationem reddit dicens. *Papa non eſt Dominus, ſed diſpenſator pecuniæ Eccleſiæ, ac per hoc pecunia Eccleſiæ non eſt ſua abſolute, vt poſſit ad libitum de ea diſponere, & plenitudo poteſtatis Papæ non exit limites poteſtatis diſpenſatiuæ*. Poteſt Legatus imponere penſionem beneficio Iuriſpatronatus, quia non eſt oneroſa Patrono, ſed Rectori, Rota deciſ 911. in nouiſſimis, Naldus verb. Penſio n. 2. Eam limitat Garcia, dummodo non tranſeat ad ſucceſſores in beneficio, quia cederet in præiudicium etiam Patroni, propter præſentationem, quæ fieret de beneficio grauato. De benef. p. 1. cap. 5. n. 359. Per Bullam 73. Pij V. nihil derogatur authoritati Legati circa penſiones, nam per reſeruationes Sedi Apo-

61

Apoſtolicæ non excluditur Legatus à latere. per Innoc. cap. Veniens de verb. ſignif.

No. 2. Cauſa imponendi penſiones eſt multiplex. Primum locum obtinet neceſſitas Eccleſiæ, quæ miniſtros ſufficientes non habet. Clement. 1. de reb. Eccleſiæ non alien. quæ extenditur non ſolum ad Rectores, & Vicarios, ſed ad Cantores, cæteroſque miniſtros. Secunda eſt paupertas Clericorum, cui poteſt Legatus occurrere, negligente Epiſcopo, etiam habita ratione perſonæ cum multa prouidentia, & cautela. 12. q. 1. Poteſt ex iuxta cauſa, & ad certum tempus reſeruare fructus beneficij vacaturi, dummodo miniſtris relinquat neceſſaria. Io. Andr. cap. Vnico, de exceſſ. præl. in ſex; cap. Tua, de verb. ſignif. per Honoriũ tertium: Poteſt pariter ex cauſa concedere fructus primi anni beneficij vacaturi, ita tamen, vt poſſit beneficium cum emolumento conferri, alias non. Glo. in c. ſi propter de reſcript. in ſex. Io Andr. in nouellis Pauli li. 2. Non poteſt concedere facultatem transferendi penſiones 8. q. 1. Apoſtolicæ. Non poteſt imponere penſionem ſuper parochiali, cuius annuus reditus non excedat ſummam ducatorum centum. Concil. Trid. ſeſſ. 24. de reform. c. 13. quicquid ſit de conſentiente. Garcia p. 1. q. 5. n. 258. Non valet reſeruatio vltra portionem permiſſam in facultatibus Legati, nam deficiente conditione, totus actus corruit. Garcia ib. c. 52. num. 412. Neq; poteſt conſtituere penſionem vltra medietatem veri annui valoris fructuum. Conſt. 20. Vrbani Octaui incip. Sanctiſſimus. Non poteſt imponere penſionem hoſpitali Eccleſiaſtico, neq; illud dare Clerico in titulum, etiam ſtante contraria conſuetudine. Clement. quia contingit, de relig. domibus.

LIBER VNDECIMVS

De auctoritate Legati, quoad reſeruationes.

PARAGRAPHVS I.

De authoritate Legati in reſeruandis beneficijs.

No.1 NON poteſt Legatus reſeruare beneficia, quę nō poteſt conferre. Abb. in c. 1. de præb. Pēdente vna reſeruatione in aliqua Eccleſia, non poteſt in eadem aliam facere, cap. deliberatione, de offic. leg. Non poteſt generaliter reſeruare beneficia ſuæ Legationis, ſed tantum facere reſeruationem ſpecialem, Garcia p. 5. cap. 3. n. 37. de certo beneficio. Licet poſſit reſeruare beneficium pro certa perſona, vt in c. Dilectus de iure patr. ei tamen nec in re, nec ad rem ius quæritur c. cum dilectus de præb. Garcia ibid. n. 38. Poteſt dare executores pro collatione beneficij reſeruati. Anchar. c. In præſenti de off. leg. Reſeruatio ſecunda facta ſtatim finita prima, nulla eſt c. Mandatum de reſcript. Prohibitiones appoſitæ in litteris Legati reſeruantis beneficia nō afficiunt ignorantes, iuxta communiorem ſententiam, quia id eſt peculiare litteris Papæ. cap. quia cunctis de Conſt. præb. in 6. & in clement eo. tit. Non poteſt ſe intromittere de beneficijs reſeruatis Papæ c. licet, de præb. in ſex. neq; de ſpecialiter conceſſis alicui, vt ea conferat. Abb. in c. Dilectus de off. leg. quæ autem ſint Papæ reſeruata, dicetur ſtatim. Mortuo Legato, aut expirata ipſius legatione, executores non poſſunt conferre beneficium reſeruatum Glo. in cap. Præſenti de off. leg.

PA-

62

PARAGRAPHVS II.

De beneficijs reſeruatis Papæ.

No. 1. Papæ reſeruantur omnia beneficia vacantia in curia, non ſolum per mortem obtinentium, ſed etiam per renunciationem, aut quouis alio modo in extrau. Bened. XII. Ad Regim. quam locum habere decernit Vrbanus VIII. Reg. Cancell. etiam ſi officiales in eadem Conſt. expreſſi Apoſtolicæ Sedis officiales ante eorum obitum eſſe deſierint, quoad beneficia, quæ tempore, quo officiales erant, obtinebant. Item beneficia vacantia ex eo quod quis incompatibilia beneficia obtineret, & alterum non dimiſiſſet iuxta Cõſt. Io. XXII. execrabilis. Item Beneficia, de quibus Ordinarij, & alij Collatores diſpoſuerunt contra decreta Conc. Trid ſeſſ. 24. c. 8. de reform.

Item omnes Eccleſiæ Patriarchales, Primatiales, Archiepiſcopales, Epiſcopales, Monaſteria virorum excedentia valorem annuum ducentorum florenorum auri

Item Dignitates, ac beneficia omnia ſpectantia ad collationem Ordinariorum, quæ poſt illorum obitum vacauerint. Item beneficia omnia vacantia ob incompatibilitatem, ſurreptionem, aut reſignationem in fraudem. Item Dignitates omnes maiores poſt Pontificales in Cathedralibus, & ſupra, principales in Collegiatis, & excedentes valorem annum decem florenorum auri familiarium Papæ, ac Cardinalium de præſenti, aut in poſterum vacantium, etiã poſt mortem dictorum Cardinalium; nomine tamen familiarium non veniunt conſanguinei. Item beneficia collectorũ, & ſubcollectorum Cameræ Apoſtolicæ, quæ durantibus eorum officijs obtine-

Digitized by Google

bant. Item quælibet beneficia curialium decedentium, dum ſequerentur curiam de loco ad locum tranſeuntẽ.

Nomine Curiæ, ſecundum communiorem, intelligitur Curia cum Cancellaria; Audientia, & Tribunalibus, & vbi cauſarum, & litterarum Apoſtolicarum fuerit audientia, quauis Papa ſe contulerit perſonaliter. Clement. Ne Romani §. Sanè. Omnia beneficia Cubiculariorum, etiam honoris, & curſorum D. Papæ. Omnes Canonicatus, præbendæ, dignitates, perſonatus, & officia in S. Io. Lateranenſis, Principis Apoſtolorum, ac B. Mariæ Maioris in Vrbe Eccleſijs, nec non ad collationem, prouiſionem, ſeù quamuis diſpoſitionem S. R. E. Cardinalium à Romana Curia abſentium ratione ſuorum Epiſcopatuum, & titulorum ſpectantia, durante eorum abſentia, cum cura, vel ſine cura tam in eadem Vrbe, quam in alijs Ciuitatibus, & Diœceſibus. Item beneficia in octo menſibus anni cum alternatione in cæteris. Hæc omnia in Regulis Cancellariæ per Vrbanum VIII. Item omnia beneficia vacantia ob crimen hæreſis ex Conſt. Pij V. cum Apoſtolatus. Item omnia per confidentiã accepta ipſo facto vacãt, & Papæ reſeruantur. Conſt. Pij IV. Romanũ Pontificẽ, & Pij V. intolerabilis. Itẽ beneficia collata Clericis prohibitis ob originẽ hæreſis, aut apoſtaſiã à fide. Cõſt. Greg. XIII. in Eccleſijs.

No. 2. Legatus habens facultatem conferendi beneficia vacantia, non poteſt conferre ſemel affecta reſeruationi, quia etiam ceſſante cauſa affectionis, ſemper remaneant affecta. Rot. deciſ. 410. 617. & 70. in Antiq. & extrau. Pauli Secundi, Ad Romani. Hinc ſequitur, Legatum habentem facultatem cõferendi beneficia reſeruata, exceptis beneficijs familiarũ Papæ, non poſſe conferre beneficia familiaris Papæ mortui. Ex his collige, quæ diſpoſitioni Legati remaneãt, & licet non ſit ablata authoritas, quam attenuatus ſit vſus. AI-

Digitized by Google

LIBER DVODECIMVS

De auctoritate Legati à latere in Concilijs Generalibus.

PARAGRAPHVS VNICVS.

No. 1 NVLLAM ex ſe habere Legatos authoritatem congregandi generalia Concilia, vt indubitatum aſſerui initio lib. quarti huius operis: at cum non minus pro certo conſtet, DD. Cardinales à Summis Pontificibus ad celebranda Concilia deſtinari non raro, vtque eiſdem præſideant, quinimo nulli de octo Concilijs vniuerſalibus, quæ cæteris in Eccleſia præſtare authoritate leguntur, Romanus Pontifex interfuit, ſed per ſuos Legatos, vt c. Canones 15. di. propterea de hoc quoque dicere valde huic operi conſentaneum duxi, & pro maiori diſtinctione per ſequentia abſoluam.

Adeo verum eſt, Legatos ad Concilia celebranda à Summis Pontificibus mitti, vt eos in diffinitione Concilij cum Papa diſiunctim ponendos iudicarit D. Cardinalis Io. à Turrecrem. ſumma de Eccleſia lib. 3. c. 5. ſic habens. *Concilium vniuerſale Catholicæ Eccleſiæ eſt congregatio maiorum Prælatorum Eccleſiæ, authoritate Romani Pontificis ſpeciali conuocata ad aliquid commune intentione Eccleſiæ ſolenniter tractandum in religione Chriſtiana, Papa in Concilio præſidente, vel aliquo Legato, ſcilicet loco ſuo.* Huius diſiunctionis ratio eluceſcet, ſi cum eodem Authore cap. vndecimo, aduertamus vniuerſales Synodos cum præſentia Papæ raro, frequentius per alios celebratas, & priſcis temporibus Papam perſonali præſentia nō

ſo-

Digitized by Google

ſolitum intereſſe atteſtati ſunt in Cōcilio Chalcedonenſi à Leone Papa miſſi Legati ad Imperatorem, cui in deſiderio erat, vt Papa Concilio ipſi præeſſet, quod & enixe datis litteris poſtulauit. Dixerunt, inquam Legati, *Glorioſiſsimi, ac Chriſtianiſsimi noſtri Imperatores charitatem & Catholicam Fidem, & affectum tenentes, Beatiſſimum Leonem Apoſtolicæ Sedis Præſulem, vt ad hoc vniuerſale Concilium adeſſet, dirigentes venerabiles epiſtolas, ſupplicauerunt. Cuius pietati placere poſſet, ſi in hac re probaretur aliquod ſimile à Prædeceſſoribus factum. Nam melius veſtra cognoſcere poteſt Sanctitas, quia nec in Nicæna, nec in Epheſina Synodo, nec in alia tali, ſcilicet Concilio, Papa S. Sedis adfuit, pro qua huius formæ ſequens conſuetudinem nos direxit. Hæc ibi.* Huius conſuetudinis ratio, (vt incidenter dicam) triplex recenſetur. Prima, ne Papę Tyrannis vis inferretur, ſicut contigit Felici, qui à Conſtantio Imperatore Sede pulſus poſt Concilium, eiuſdem iuſſu decollatus eſt. Secunda, vt maiori libertate poſſit Papa examinare, approbare, & reſcindere Canones, & acta Concilij, iuxta merita. Tertia, ob maximas vniuerſalis Eccleſiæ in Vrbe, & eiuſdem Vrbis negotia. In his Concilijs Legati à Papa miſſi Præſidentes habent præſentiam, non ſolum honorariam, ſed etiam authoritatiuam, & ad ipſos pertinet dirigere, proponere, &c. non proprio, ſed Papæ nomine Glo. 17. di. Generalia. Ad eorum interlocutiones, quæ proferenda ſunt proferuntur, & diſcutiuntur. Ipſi non mandato Concilij, ſed Papæ ſententias proferunt; vnde octaua act. Concil. Chalcedonenſis Legati Papæ definientes contra Photium, & in fauorem Ignatij à Sede exturbati, dixerunt: *Nos non nouum, vel recens iudicium iudicabimus, ſed vetus, & multo tempore præiudicatum pridem à Sanctiſsimo, ac Beatiſsimo Papa Nicolao, & firmatum à Sanctiſsimo Papa Adriano.* Legati ſubſcribunt

Digitized by Google

bunt actis Concilij, ſicut cæteri Prælati: at non propterea non debent dici maiores, ſicut & aliquãdo Papa dicendo, ſtatuo, ſubſcribo, &c. & primo loco ſubſcribunt licet aliquando inueniantur alij priori loco ſubſcripti, vt Cyrillus Alexandrinus in Epheſino: ſed iſte, & alij erant Præſidentes à Papa conſtituti.

Quæritur. An Concilium nomine Papæ à Legatis congregatum, & directum poſsit errare in fide?

Dico. Ante Decretum, & approbationem Papæ Concilium poteſt errare. Melchior Cano de locis Theol. li. 5. Bellarm. diſp. to. 1. l. 2. c. 11. Argues. Tale Concilium repræſentat Eccleſiam vniuerſalem, quæ errare non poteſt. Reſp. iuxta doctrinam eorundem poſt Card. Caietanum opuſc. de authoritate Papæ, & Concil. Concilium abſque capite Summo Pontifice, & ſine ipſius approbatione non reperſentare Eccleſiam vniuerſalem. Dices ergo fruſtra conuocantur Concilia, quando Papa eſt ita Iudex, vt definitiones cum interuentu Legatorum nullo modo ſint firmæ, ſine Papæ approbatione. Reſp. negando illationem: primo quia Patrũ ſententijs fides Pontificis maximè iuuatur. Secundò, quia plus authoritatis habere ſolet, quod pluralium conſilio, atq; iudicio noſcunt populi definitum.

Replicabis. Si Legati ſuſtinent Papæ perſonam, & nomine ipſius adſunt, & iudicant, quomodo authoritate Pontificis definientes errare poſſunt? Dicit Bellarm. quandoq; Legati mittuntur à Papa cum ſententia ipſius Papæ, & ſi tunc à Concilio talis ſententia approbetur, fit: Decretum nomine Papæ, non Legatorum, & in tali caſu non poteſt interuenire error & hoc fieri ſolet, quandocumq; de peculiari dogmate controuerſia diſcutienda eſt in Concilio; Nam tunc Papa mittit Legatos cum

cum inſtructione,& ſentẽtia,ea conditione,vt approbata à Concilio, formetur nomine ipſius Decretũ: at quando cõtingit adunari Concilia,ad varia in eis agenda,& cum de omnibus, ac ſingulis nequeat Papa prouidere, mittit Legatos,qui Cõcilio præſint,& definitiones faciendas ad Sedem Apoſtolicam tranſmittant approbandas.

Inſtabis.Cõcilijs generalibus aſſiſtit Spiritus Sãctus:vnde Actuum Apoſtolorũ 15.dicitur;*Viſum eſt Spiritui Sancto,& nobis*:quomodo igitur poteſt interuenire error,vbi Spiritus Sanctus director interuenerit? Vrgere videtur hoc argumentũ, & magnam habere vim,vnde non concordant Doctores in reſpondẽdo;Ego verò omiſſa prolixitate,quæ ex cuiuſuis placitis afferẽdis enaſceretur,vtar doctrina Eminentiſſimi D.Io.de Turrecrem. 15. di.Sancta Romana q. 1. ad 2. & eſt:Licet Canones Patrum dicantur, & ſint in Sancto Spiritu conditi; nihilominus ad hoc, vt obligent, neceſſe eſt, vt authoritate Superioris confirmentur,& approbentur;Non enim omne,quod aliquibus Spiritu Sancto inſpiratum eſt, habet omnes obligare ad ſui obſeruantiam, niſi ab eo inſtituatur, aut approbetur, qui habet authoritatẽ reſpectu totius Chriſtianæ Vniuerſitatis; ſolus autem Papa id habet, & ideo omnia inſtituta à quibuſcumque Patribus in Concilio, à Papa debent confirmari. Adeſt exemplum; Electio canonica licet ſit à Spiritu Sancto, attamen per eam electus non habet iuriſdictionem, nec alij tenentur ei obedire,vt Prælato, quoaduſq; à Superiori electio ipſa approbetur,& confirmetur, ſi Superiorem habet.

LIBER

LIBER TERTIVSDECIMVS

De terminis poteſtatis Legati, & Legationis, &c.

CVM poteſtas Legati à concedentis (vt initio operis dictum eſt) dimanet arbitrio: Iſq; immediatè à Deo plenitudinem poteſtatis ſortiatur; limites authoritatis Legati, haud facile eſt determinare. Neq; enim ſatis explicant Doctores, dum ex caſibus, & cenſuris plura accumulant, quæ Papæ ex priuilegio reſeruantur: quia ex huiuſmodi reſeruatione non adimitur Papæ poteſtas ea plura, vel pauciora ſpeciali mandato transferre; ipſe in hac re generalibus regulis incedam, vt quilibet apprehendat, & applicet.

PARAGRAPHVS I.

De terminis poteſtatis Legati.

No. 1. CErtum eſt, quam poteſtatem ſortiatur Legatus ex vi litterarum ſuæ Legationis, & vt Ordinarius, vt ſupra dictum eſt; non æqualiter certum ad quæ ſe extendat Legati authoritas ex conſuetudine, & ſolitis concedi; Hoc vltra litteras facultatum vſus ipſe docet. Cæterùm inter ea, quæ Papæ reſeruantur ex ſpeciali priuilegio, & prærogatiua, quędam adeo ei ſunt propria, vt alteri ſint incommunicabilia. Non poteſt Papa alteri conferre prælationem ſuam, quam habet ſuper omnes homines, ſalua ſuæ Dignitatis ratione, ſiue ſit ſermo de maiori, ſiue de æquali poteſtate: Hæc eſt communis ſententia: Eam docent poſt D. Thomam, &

Paludanum, D.Cardinalis de Turrecrem. in ſumma Eccleſiæ cap.114. D.Cardinalis Caietanus 2.2. q. 67.art. 1. Magiſter Dominicus Soto de iuſt. & iur. li.5. quæſt. 4. ar.1.Ratio eſt:Papa non poteſt agere contra Ius Diuinum, cum ſit impermutabile. Diſpoſitio autem Diuina eſt, quod Papa ſit omnibus Superior:ergo non poteſt alteri maiorem, aut æqualem tribuere poteſtatem. Omnia patent. Poteſt tamen conferre Legato, immo & cuilibet Sacerdoti, vt ipſum iudicet in foro conſcientiæ, & eidem ſeipſum ſubijcere, quia iudicium confeſſionis eſt quoad Deum,apud quem quilibet redditur minor. Hinc ſequitur, non poſſe Papam tribuere Legato, vt nullum omnino recognoſcat Superiorem, quia nequit excludi papalis authoritas, & perſona loquentis. Neq; poteſt conferre Legato abſolutam poteſtatem definiendi omnes cauſas fidei, quia hoc eſt de eſſentialibus Papatui, adeo quod in Eccleſia, ſecluſo Papa, non eſt talis authoritas, quandoquidem in perſona Petri Papæ dictum eſt. *Ego rogaui pro te, vt non deficiat fides tua, & tu aliquando* &c. & rurſus, *Paſce oues meas*: Item & ſoli Apoſtolicæ Sedi aſſiſtit Spiritus Sanctus in definitionibus. Nec obſtant determinationes rerum fidei factæ in Concilijs; Nam & hæc non fuerunt congregata abſque Papa, neq; illa ſortita ſunt valorem abſque Sedis eiuſdem approbatione,17. diſt. per totam. Neque poteſt conferre authoritatem canonizandi Sanctos pro libito,eadem ratione,eſſetq; in præiudicium vniuerſalis Eccleſiæ, cuius ipſe Papa eſt caput. Neque dare poteſt omnimodam poteſtatem ſupra ius poſitiuum,quia hoc eſſet dare plenitudinem poteſtatis, quæ in ſolo Papa eſt à Deo. Neque depoſitiones Epiſcoporum vniuerſaliter, aut indifferenter,D.Io.de Turrecrem.lib.3.cap. 92. Neque iudicialem definitionem, ſeu interpretationem Priuilegiorum Pa-

pæ

pæ.De Iud.c.cum veniſſent.Neque authoritatem conuocandi Concilia generalia ad libitum, & nomine proprio, quia eſſet conferre ius in Eccleſiam vniuerſalem. Neq; poteſtatem authorizandi,aut confirmandi acta datorum Conciliorum proprio nomine, eadem ratione. Neque nouas religiones inſtituendi, confirmandi, reformandi, &c. ad arbitrium. Neque Imperatores, aut Reges propria authoritate deponendi, electiones eorum reprobandi: quia cum non recognoſcant in terris Superiorem præter Papam, non poteſt eos ſubijcere alteri à ſe, aut in eorum præiudicium conferre alteri Principatum Eccleſiæ 40.di. Si Papa. Neq; concedere eidem priuilegium, vt de nullo crimine poſſit accuſari, aut condemnari: quia hoc eſt ſolius Principis ſupremi, quòd nullis ligetur legibus, ibidem. Neque concedere ei, aut etiam toti cætui Cardinalium, vt Sede vacante fungantur authoritate papali: quia vt dictum eſt, hæc habetur immediatè à Deo, & ſoli Petro eſt conceſſa, ita vt cæteri omnes ſint illius incapaces 2.q.6.qui ſe ſcit. Immo neque Concilio generali poteſt eam facultatem conferre, quia poteſtatem immediatæ Vicariæ nullus poteſt conferre præter eum,cuius Vicarius eſt, qui eam habet, ſed ſolum à Chriſto Domino inſtituta eſt, immediatè quidē in perſona Petri; in ſucceſſoribus verò eius mediante electione Eccleſiæ. Igitur nequit Papa eam Concilio,aut alteri conferre.Sylueſter verbo Papa, primo, ex doctiſſimo viro Hæruœo de poteſt. Eccleſiaſtica. Hæc omnia prædicta nec Papa ipſe cum tota Eccleſia facere poteſt, quia non eſſet vna Chriſtianitas,& vna Eccleſia ſub vnico Paſtore. Immo nec Vicarius ſimul cum communitate ſubiecta poteſt facere oppoſitum eius, quod principalis Dominus ordinauit dicens; *Et ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam.* & rurſus, *Erit vnum ouile, &*

vnus Paſtor: His tamen non obſtantibus, non tollitur Papæ poteſtas, quo minus circa ſupradicta ſingillatim quandoque poſſit demandare Legato publicationem, denunciationem, executionem, &c. etiam cum cauſæ cognitione, quia hoc non eſt plus, quam inſtituere miniſtrum, atque eius vti miniſterio.

PARAGRAPHVS II.

De expiratione, ſeù terminatione Legationis.

NOnnulli recenſentur modi, quibus finitur, ſeù expirat Legatio, inter quos quibuſdam exiſtentibus minus certis, certiores ſunt ſequentes.

No. 1. Finitur Legatio expleto tempore Legationis, quæ datur ad tempus; Tempus autem in terris, ſeù prouincijs Eccleſiæ, de conſuetudine eſt triennium, Glo. in c. præſenti de off. leg. in ſex. In cæteris verò ad negotia grauiſſima non eſt tempus præfixum, ſed ſecundum exigentiam negotiorum menſuratur, aut limitatur. Expleto tempore, oportet, vt reuocetur ſaltim de conſuetudine. Item finitur Legatio per reuocationem factam à Principe, etiam ante tempus illud, quia pendet ab eius arbitrio. Non intelliguntur Legati de latere reuocati, niſi id fiat ſpeciali reuocatione, glo. ad tex. Si Abbatum de elect. in ſex, & in cap. 1. de verb. ſignif. Rodriquez de quæſt. regul. tom. 2. quæſt. 63. ar. 5. Cherub. Schol. ad Conſt. 17. Eugen. IV. Licet Romanus. Finitur quoq; Legatio per renunciationem *Legati*, accedente tamen acceptatione Papæ: quia ſi Papa non acceptat, non finitur Legatio. Immo Papa poteſt cogere Cardinalem ad perſeuerandum in legatione, niſi legitimum probatumq; allegaret impedimentum, etiamſi diù eadem legatione

ſun-

functus fuiſſet, Glo.in cap. ſcripturis veſtris 8.q. 1. Aliàs enim periret Eccleſiaſticus ordo.D.Thom.4. ſent. di. 18. Item finitur legatio Legato aſſumpto ad Papatum; idem enim non poteſt eſſe princeps, & miniſter.cap. per veſtros de iure patr.&No.in c.ſi ablatũ de elect.in ſex.Neq. obſtat,nõnullos Sũmos Pontifices ab Occidentis Imperatoribus ad Orientales miſſos fuiſſe.Hi enim & vi miſſi, & intuitu Eccleſiaſticę pacis onus ſuſceperunt,pro Chriſto fungentes Legatione, & vt ipſius Vicarij intrepidè egerunt. Item finitur legatio per ingreſſum ſucceſſoris intra fines legationis: hoc probat potius factum, quam lex, & ita docet cap.volentes de off. leg. licet aliam partem non reprobare videatur, ſed loquitur de ſimplici datione noui Legati. Mortuo Papa, non expirat iuriſdictio Legati, quoad ea,quæ ei competunt iure legationis, quia eſt Iudex ordinarius, neque etiam, quoad ſolita concedi, eadem ratione. Expirat tamen eius iuriſdictio quoad ea, quæ iuriſdictione delegata obtinet. Glo. in cap.Legatos de off.leg. & eſt probabilior, eamque tenui Abb.in c.licet vndiq; de off. & poteſt iud. deleg.

Nec allata in oppoſitũ à Gambara probant;non illud, inquam,quod omnes facultates emanẽt vna cõceſſione Quia huic non repugnat,quod ſint diuerſæ facultates,ſicut & diuerſæ ſunt litterę,quibus conceduntur,vt initio huius operis eſt obſeruatũ.Et patet ex ſimili in Epiſcopo quia alia habet vt Ordinarius,alia vt Delegatus, quæ tamen communia ſunt omnibus Epiſcopis.Non item:quod dicitur de officio Vicarij: quia hic ad omnes cauſas generaliter inſtituitur, & vnum Tribunal facit cum Epiſcopo & in omnibus eſt ordinarius; non ita ille,vt patet. Mortuo Papa,etiam ante ingreſſum prouinciæ, non expirat legatio, quia illa Decretalis non diſtinguit de ingreſſu ſecuto, vel non ſecuto. Glo. in d.c.Legatos, & idem eſt,

aut

aut ſimile in Epiſcopo. Acta Legati ante notitiam reuocationis valent. Io.Andr.in Clem.1. de renuntiat.

No 2. Finita legatione, cauſæ inchoatæ coram Legato ſpectant ad ſucceſſorem. No.in c.Si Abbatum de elect. in ſex. Adhuc tamen durat authoritas Delegati, quoad cauſas inchoatas. cap. vbi, de off.deleg. & perpetuatur talis iuriſdictio Delegati per citationem,& alium iudicialem actum. cap.oratum de off. Deleg. Non verò per ſolam delegationem: c. licet de off. Deleg. Legatus, qui prouinciam exiuit animo non redeundi,non poteſt amplius exercere in ea iuriſdictionem,quia finita eſt eius legatio. per Glo.in cap.præſenti de off. leg. §. Finitur legatio. Hoc autem fortaſſe dicit quoad ſpiritualia, ſed potuit eum pœnitere ante acceptationem, & re integra.

No.3. Si Papa primo Legato commiſerit diuerſas cauſas ſingulares, expreſſo nomine Legationis, & ipſe ante aduentum ſecundi Legati proceſſerit in dictis cauſis Apoſtolica authoritate,non Legationis, poterit etiam poſt aduentum ſecundi illas perſequi Specul.lib.1. par.1. De delegato §. Supereſt. §.Sed ſi moram.

LAVS DEO.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

Digitized by Google